DE

CAII JULII CÆSARIS
ELOQUENTIA

HANC THESIM DISCEPTANDAM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT,

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

J.-A. LISLE,

JURIS ET LITTERARUM LICENTIATUS.

PARISIIS

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM.

M DCCC LII.

DE

CAII JULII CÆSARIS

ELOQUENTIA.

Nihil majus, nihil fortasse difficilius scribenti, quam tenuissimum illum veritatis scopum tangere, quem haud immerito maximus fere nostrorum philosophorum acus similem esse dixit. Trahimur enim specie veri, dumque vanam effigiem ardentius persequimur, modo hinc, modo illinc, ad falsum deflectimus. Id autem potissimum accidere æquum est, quum scribitur de re minus plana et perspecta, de qua diversæ sæpius opiniones defendi possunt, ut non semel arbiter sapiens libratis lancibus inscribere debeat : quid scio? Nonne igitur tunc optimum sit, utramque sententiam proponere, suis argumentis utramque causam munire, et rem omnem judicandam legenti deferre? Quod si concessum esset, apta fortasse tali disputationi aut certe non absurba videretur illa orationis forma, in qua plures amici, opinionibus et studiis discrepantes, veritatis amore pares, inter se disserentes inducuntur; illi denique διάλογοι, quos et Plato, et Cicero, et alii immortalibus scriptis commendaverunt. Quorum ingentium scribendi et cogitandi magistrorum auctoritate humillimæ huic disputationi, si minus

gratiam et favorem, at certe excusationem et veniam posse conciliari sperandum videtur.

Trium igitur sodalium hæc fuisse disputatio fingitur : quorum alius, Camillus nomine, historiæ deditus, et secretam abditamque Galliæ nostræ vetustatem scrutari aggressus, Cæsaris Commentarios penitus novit ac tenet; alius, cui Valerio nomen est, legum et juris peritus, et facundiæ admodum studiosus, inter veteres oratores rhetoresque versari consuevit; tertius denique Æmilius, litterarum omnium amantissimus, cum Cæsaris dicendi genus et ingenium et eloquentiam curiosius investigaverit, et penitus nosse admodum cupiat, duos illos sodales suos ad se vocavit, eorumque doctrinæ petivit auxilium.

Cui statim Camillus : « Novam prorsus et pulchram materiam affers, inquit, sed valde reconditam. Primas igitur ad audiendum mihi partes rogo, nullas vero ad disputandum. « Ut enim de Cicerone, cujus tamen perpauca legi, aliquid fortasse sentiam, de Cæsaris facundia quid dici possit ne video quidem, cujus nullam orationem unquam vidi. Num vos aliquam nostis?

Rides, inquit Valerius, quum id a nobis rogas quod tute optime scis. Commentarios certe ejus exstare non nescis, quibuscum quotidie ambulas, et cœnas, et, credo, etiam dormis. Nonne igitur in iis plurimæ sunt conciones et cohortationes ad milites, e quibus de ejus ratione dicendi conjecturam facere liceat? Non legisti quam sæpe apud populum locutus sit, quam multas leges rogandas abrogandasve curaverit, quam multas denique causas orandas susceperit? Egregium sit, medius fidius, si te res ubique gestas memoria amplexum ego doceam, ab illo unum et vigesimum ætatis annum agente Cn. Dolabellam (1) repetundarum postulatum fuisse, ab eodem Masintham (2), et Nysam, Nicomedis filiam (3), et Bithynos (4), et

(1) Tac. de orat. 34. Errare hic, Tacito duce et auspice, Valerius videtur. Constat enim hanc causam actam esse anno 77 a. e. n. Tunc autem Cæsar tres et viginti annos erat natus. Conf. Cic. in Pis. c. 19, Vell. 2, 43. Cic. Brut. 92. Val. Max. 8, 9. 3.

(2) Dio. Cass. 41, 41. Suet. Cæs. 71. — (3) Suet. Cæs. 49.

(4) A. Gell. 5, 13.

multos alios fuisse defensos, ab eodem rogatam legem Plautiam (1); ab eodem denique Juliam (2), Marii conjugem, ipsius vero amitam, Corneliamque (3) uxorem defunctas pro rostris magnifice laudatas fuisse.

Et quidem, inquit Camillus, magnificentissime eas laudavit, neque in hac laudum largitione sui ipse oblitus est, si quidem in se esse ostendit non modo regum sanctitatem, sed etiam cærimoniam deorum.

— Oratorem ergo eum fuisse non inficias ibis, inquit Valerius; nec magis de illo a veteribus scriptoribus, qui aut illum audiverant aut recentem ac vivam, ut ita dicam, exceperant ejus memoriam, testimonia nonnulla nobis tradita esse. Nonne igitur existimas ista omnia, tum inter se collata, tum cum illis quas ipse reliquit nobis concionibus comparata, lucem sibi invicem afferre, et aliquid satis perspicuum de tota hac nostra quæstione efficere posse? Ergo age. Tu ex ejus scriptis, quæ diurna nocturnaque manu versas, de ejus eloquentia fer judicium. Ego deinde excipiam, et quæ apud antiquos testimonia inveni et exponam et conferam. Iste tamen, inquit, in Æmilium intuens, qui paratus ad imparatos venit, et nostræ doctrinæ auxilium petit cum ipse omnia penitus indagata et perspecta habeat, arbiter sedebit et judex; et, si quid falsi aut minus recti protulerimus, ut multa proferamus necesse est, tanquam ex cathedra reprehendet. Cui cum arrisisset Æmilius, neque in certamen si res postularet descendere recusasset, Camillus sententiam suam dicere incepit.

Cæsarem in eloquentia plurimum valuisse, cum antiqui omnes uno consensu tradiderint, ego non negabo. Tacitus enim, ut meministis, summis eum oratoribus æmulum (4) declaravit; Quintilianus autem testatus est si tantum foro vacasset, non alium e Romanis contra Ciceronem fuisse nominandum (5). Imo Ciceronem ipsum audite, in epistola ad Cornelium Nepotem,

(1) Suet. Cæs. 5. A. Gell. 13, 3.

(2) Plut. Cæs. 3. Suet. Cæs. 6. Vell. 2, 41. Serv. in Virg. Æn. 1, 267.

(3) Plut. Cæs. 5. Suet. Cæs. 6. — (4) Tac. Ann. 13, 3.

(5) Quint. 10, 1, 114. Haud aliter Vell. 2, 36, proximum Ciceroni Cæsarem putat.

teste Suetonio, scripta, clamantem : « Quid? oratorum quem huic antepones eorum qui nihil aliud egerunt (1)? » Quæ cum scriberet, etsi fieri potuisse existimo ut ipse sibi interroganti responsum dederit, et quemdam optime noverit oratorem qui Cæsari et esset anteponendus et ab ipso anteponeretur, inde certe colligi potest Julianæ facundiæ illa ætate ipsa opinionem fuisse singularem. Non possum tamen quin rideam, si quis animosum illum ducem, nil actum reputantem dum quid agendum superesset, qui denique totum orbem ingentium rerum monumentis complevit, cum istis rhetoribus conferre velit, lingua non gladio armatis, qui nullum unquam nisi in syllabas imperium habuerunt. Ad agendum ille a pueritia, non ad loquendum, se accinxit; et cruentas in sole ac pulvere, non umbratiles et innocuas inter togatos, victorias ferre didicit. Quidquid eloquentiæ habuit, a natura et usu, non a scholis duxerit necesse est. Habebit igitur quidquid ex animi vi aut ingenii acumine, quidquid ex hominum et rerum scientia proficiscitur; quidquid autem arte et studio et assidua meditatione comparatur, omnino non habebit.

— Equidem agnosco, inquit Valerius, philosophum tristem ac trucem, atque, ut proprio utar verbo, μισάνθρωπον, omnia libero hominis arbitrio et propriæ vi detrahentem, quod naturæ aut nescio cui fato largiatur. Mihi autem, neque flores sine semine nasci videntur, neque ingenia spreta omni cultura efflorescere, neque præsertim nullo labore, nullis vigiliis, comparari illa eloquentiæ fulgura, illa tonitrua, quibus Græciam permiscebat Pericles. Concedamus sane exstitisse quosdam duces qui militiæ scientiam dormiendo didicerint. Res enim bellicas non unius viri virtus peragit, aut inertia perdit. Quoties imperatoris stultitiam aut ignaviam militum disciplina, fortitudo, multitudo etiam laurea donavit! Fuerint Romani armorum omnino rudes, qui, deposita toga, simul cum paludamento scientiam Annibalis induerint ; at qui Ciceronis facundiam in rostris protinus inveniret, nemo fuit. Nempe in elo-

(1) Suet. Cæs. 55. Vid. et Plut. Alex. et Cæs. 4; Ascon. in comm. ad Or. Pro M. Scauro.

quentia fortunæ arbitrio permissum est nihil; nihil alienæ virtutis auxilio corrigi potest. Ut neminem culpare victis licet, ita in partem victoriæ venit nemo. Orator ergo nemo unquam natus est. Tu forenses pugnas umbratiles vocas? Quasi vero difficilius sit pugnantes e longinquo spectare milites, quam sese nullis cohortibus stipatum, medium in certamen immittere, et suæ virtutis ac potentiæ, non alienæ, periculum facere. Versari etiam in rostris, et stare in oculis civium, et vocem tollere, qui non didicit, vix audeat; nedum et clamores et minas et sævum murmur turbarum sustineat atque compescat.

Demosthenem igitur ac Ciceronem, omnes denique qui effecerunt aliquid in eloquentia in memoriam revocate, quem reperietis qui non magno labore, assiduisque meditationibus quidquid habuit paraverit? Sunt quidem nonnulli qui rudem atque incultam eloquentiam professi sint: ipsa autem illa artis dissimulatio ars erat atque scientia. Quem fugit apud Romanos nullum fuisse nobilem adolescentem, qui non mare transiret, Athenasque migraret, litteris studendi causa, quarum ibi mansisset etiam tum pacatissimum domicilium atque, ut ita dicam, sacrarium. Cæsarem ergo etiam si omnes negent veteres studio dedisse operam, vix fidem adhibeam. Quid igitur censes me facturum, cum magnam et assiduam dedisse testentur? Tacitum primum audiamus, aut si quis alius dialogum de oratoribus composuerit, narrantem summa eum cura sub tutela matris Aureliæ, ut quondam Gracchos ferunt a matre Cornelia, ita educatum et eruditum fuisse, ut princeps inde vir evaderet (1). Suetonium nunc afferam vis?

—Video quorsum pergas, inquit Camillus : neque me fallit eum, quo tempore Rhodum secedere coactus est, Apollonii Molonis auditorem (2) aliquandiu per otium fuisse, ut exilii tædium levaret, reor, græculi hominis artificium et præstigias spectando potius quam ut ex ejus disciplina quidquam hauriret.

Cui rursus Valerius : Facile est, lepido præsertim adolescenti et ingenioso, ut te novimus, Cæsaris intimos sensus post

(1) Tac. Or. 28. — (2) Suet. Cæs. 4.

bis mille annos pernoscere, et cum facta te coarguant ad voluntatem confugere. Quanquam, ne id quidem tibi perfugium relinquam. Tacito enim et Suetonio Plutarchum et Ciceronem socios et auxiliatores adjungam. Nonne huic igitur credas in Bruto testanti bene loquendi laudem, « multis litteris, et iis quidem reconditis et exquisitis, summoque studio et diligentia (1), » esse ab illo comparatam ? Quid enim contra talis illius viri testimonium, qui Cæsari ab adolescentia familiaris ac pene sodalis (2) fuerat, stare possit ? Quid autem in ejusdem vita scripserit Plutarchus non legisti ? « Dicitur et a natura indolem habuisse ad eloquentiam aptissimam, et eam « studiosissime excoluisse (3). » Majus est etiam quod idem narrat, non in schola tantum ac per otium in hæc eum studia incubuisse, sed etiam neque in itineribus aut navigationibus, imo ne in manibus quidem hostium, ab illis se removisse. Me quidem mirum in modum juvat, ante oculos mihi proponere magnanimum illum adolescentem inter piratas, ne dicam feras, a quibus captus erat, tanquam in ludo versantem, et orationibus scriptis audientiam sibi facere istos latrones jubentem, rusticosque etiam ac barbaros vocantem quod ejus eloquentiæ dulcedinem hebeti ingenio non perciperent (4).

Quem igitur video his in angustiis omnem curam in litteras conferentem, ab illo omnem pueritiam et adolescentiam incuriosam, otiosam, inertem, actam esse credam ? Et quum videam omnes Romanos adolescentes, qui ad rempublicam capessendam accingerentur, artem dicendi tanquam arcem tutissimam simul atque infensissimum telum omni ope quæsivisse, Cæsarem credam tam acri, tam fervido ingenio præditum, atque a pueris summum imperium spe et cupiditate præsumentem, a via quæ potissimum ad propositum ferret aversatum esse ? Imo nullam omnino viam, quæ modo ad gloriam et postestatem ducere videretur, non tentatam ab eo fuisse manifestum est. Quamvis enim apud Romanos minus existi-

(1) Cic. Brut. 72.
(2) Cic. De prov. cons. 17. Plut. Cæs. 3.
(3) Plut. Parallèle de Cés. et d'Alex. 3. — (4) Plut. Cæs. 2.

mationis et dignitatis haberet poesis, versus condere haud dedignatus est, et Œdipo suo (1) Sophocleam lauream ausus est æmulari. Neque id tamen poetico quodam spiritu afflatus, aut musarum et Minervæ, quibus se subtrahere non posset, gravibus imperiis subactus, admisisse facinus videtur; quoniam, si Tacito fides sit adhibenda, carmina illa quanquam in bibliothecas referenda deinde curaverit non melius quam Cicero fecit, sed solummodo felicius, « quia illum fecisse pauciores « sciunt (2). »

Quinetiam et grammaticam coluit, et grammaticis latinis Galliarum ille domitor est annumerandus. « Scripsit et de analogia libros duos, » inquit Suetonius (3). Quæris qui fuerint libri isti? Ex Cicerone atque Aulo Gellio responsum petam. Docet nos Tullius de ratione latine loquendi accuratissime ad se scriptos fuisse (4). Aulus autem Gellius et alii, prolatis exemplis, ostendunt in iis disputatum fuisse utrum *arenam* (5) tantum an *arenas* quoque dicere liceret, utrum *hujus die* (6) an *hujus diei*, *turbinem* an *turbonem* esset dicendum, aliaque multa ejusmodi. Neque id puer aut adolescens, ut nos solemus, sed vir et consularis et in maximis occupationibus quærere sustinuit. Dictator etiam et rerum dominus, quum Ciceronem inviseret, atque in sermone cum illo Catonis laudatore σπουδαῖον οὐδὲν, aliqua de causa satis per se perspicua, esse vellet, ad φιλόλογα confugiebat (7). Quid nunc? Eloquentiam ab eo spretam fuisse defendes, qui grammaticæ et poesi, pacatioribus multo et inutilioribus artibus, multum temporis ac laboris dare non dubitavit? »

— Mira narras, inquit Camillus, et me admodum juvat dictatorius iste et triumphalis grammaticus. Quam ob causam autem rhetoricam didicerit, non invenio : nisi forte eam scire voluerit, ut ea ne uteretur. Quanquam enim adversus ista testimonia nihil afferre queo non magis possum in commentariis istis festinationem quamdam incuriosam non animadvertere;

(1) Suet. Cæs. 56. Vid. et Ascon. in comm. ad Or. pro M. Scauro.
(2) Tac. Or. 21. — (3) Suet. Cæs. 56. — (4) Cic. Brut. 72.
(5) A. Gell. 19, 8. — (6) A. Gell. 9, 14. — (7) Cic. Ep. ad Att. 13, 52.

non possum non notare summam negligentiam istorum omnium florum sine odore et succo rhetorum manibus factorum, summumque etiam contemptum.

— Controversiæ hujus vestræ, inquit Æmilius, facilem et expeditum finem fore existimo, si rem attente inspiciamus. Commentarios enim illos non summa cura scriptos esse reor. Quid autem mirum? Num historiam rerum suarum componere voluit Cæsar? Minime : sed eos qui deinde scribere eam vellent, parata habere omnia unde sumerent. Itaque, ut ait Cicero, « nudi sunt, recti ac venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracto (1). » Optimus igitur ille æstimator, ornamenta eum non modo non affectasse, sed etiam detraxisse docet. Audite etiam Hirtium, aut illum alium quemlibet ex Cæsaris amicis qui commentarios peragendos et ad mortem dictatoris perducendos suscepit, testantem facillime ac celerrime id opus ab eo perfectum fuisse (2). Imo, non perfecit ipse; et adeo non omni arte historiam elaborare atque expolire aut potuit aut voluit, ut ne materiam quidem historiæ ad finem perduxerit, sed in medio rerum suarum cursu interruptam reliquerit. Quid igitur obstat quin Pollioni, Cæsaris amico et legato, credamus, parum diligenter compositos fuisse illos libros et rescripturum eum ac correcturum fuisse (3) dicenti? Ni fallor igitur, ut commentarios non historiam sed historiæ materiam esse constat, ita conciones in iis relatas, non conciones ipsas quales ipse habuit, sed earum materiam crediderim. Res igitur et rationes attulit, verba neglexit. Id certe manifestum est recto eum sermone in alloquendis militibus usum fuisse, neque, ut in commentariis solitum esse nemo nescit, ad præsentes atque audientes inversis modis locutum esse, perinde ac si tantummodo a se dicta narraret.

Non igitur immerito Camillus in iis concionibus invenit quidquid ad inventionem pertinet; quidquid autem elocutionis est non invenit, quia non erat. Ossa tantum et nervos mihi videre videor, succum autem et sanguinem et colorem frustra quæro.

Tu igitur, studiose commentariorum lector, quid ex iis de

(1) Cic. Brut. 75. — (2) Cæs. de Bell. Gall. 8, 1. — (3) Suet. Cæs. 56.

Cæsaris eloquentia judicandum sit exponas censeo; tu deinde, Valeri, perlectis veterum testimoniis, quid in ea disputatione mutandum aut confirmandum sit docebis.

— Opus haud expeditum suscipere me jubes, inquit Camillus. Etsi enim commentariorum dicendi genus vehementer laudandum arbitror, quo modo illud laudare possim, non hercle video. Simile est profecto illius, quod miramur omnes in illa celeberrima Caroli duodecimi historia, a maximo quodam e nostris scriptoribus elaborata : magis sine vitio est quam cum virtutibus. Summa ubique æqualitas, et accommodatissima rebus oratio. Nihil in ea est conspicuum, nihil quod oculos moretur, nihil quod legentibus clamet : « Attendite ac plaudite! » Hæc autem quibus caret, mihi quidem non videntur vehementer desideranda : imo, si me audias, eo magis eum exornant quod absunt. Quæcumque enim solummodo pertinent ad delectationem, adeo non me delectant, ut molesta sint atque odiosa. Nempe qui me doceat quæro, non qui mihi blandiatur. Facessant ergo certi illi et circumscripti verborum ambitus quibus rhetores gaudent, et verba inter se artificio quodam putido respondentia ; et omnia hujuscemodi ad voluptatem aurium inventa. Musica hæc est, non eloquentia; aud potius neque eloquentiam, neque musicam eam dixerim, sed mixtum aliquid et fusum ex utraque in quo utraque vitiata sit. Nonne optime verti possit in illos argutæ modulationis aucupes Cæsaris ipsius hoc dictum : « Si cantas, male cantas; si dicis, cantas (1). » Ergo, ut aiunt, age quod agis!

Numeros igitur Cæsar minime curæ habet. Dummodo perspicua sit sententia quam proferre cupit, voti compos est ; ubi ingenio satisfecit, hoc auribus quoque satis esse debere existimat. Neque immerito. Nonne enim mirum est, ne dicam indignum, homines sanos, et graves, et consulares, quid dicendum sit nihil curare, quomodo dicendum sit quærere! Pace hoc vestri illius Ciceronis dictum sit, quamvis istud ejus *esse videatur*, non tantæ, ut opinor, voluptati fuerit in foro apud Romanos, quanto apud nos in scholis ludibrio. Cujus equidem

(1) Quint. 1, 8, 2.

ipsius Romanorum oratorum principis fusum, et pingue, et adipatum dicendi genus plus æquo non admiror. Surdis me hercule loqui se arbitratur, qui tanta pertinacia iisdem iterum atque iterum rebus obtundat aures. Ubi quemdam in locum ingressus est, ibi ambulat, ibi immoratur, ibi parum abest quin domicilium sibi constituat. Paginam transilio et prætereo? Nequidquam : eadem semper video,

.... pontum undique et undique pontum.

Minime miror eum « a Calvo male audivisse tanquam solutum et enervem ; a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum atque elumbem (1). »

— At Brutus ipse, inquit Valerius, otiosus et disjunctus, ni fallor, Ciceroni videbatur ; Calvus autem exsanguis et attritus (2) : ut ea demum lis oriatur, cui potissimum de eloquentia sententiam ferendi jus tribuendum sit, oratorumne principi, an duobus e vulgo oratoribus. Cæterum, quod tanquam surdis loquatur, ego vehementer laudo, nedum reprehendam. Nonne enim meministi aliam esse historiæ, aliam eloquentiæ rationem ; alteram enim legi, alteram audiri solere? Legentem autem si quid primum fefellerit, relegere quid vetat? Sed contra quod audientem semel prætervolavit, jam reduci non potest,

At semel emissum fugit irrevocabile verbum.

Ut igitur historiam celeritas decet ac brevitas, ita eloquentiam copia et mora : non enim infundenda sed inculcanda in aures vulgi oratio est. Rem eamdem iterum atque iterum illius in ore versare atque ex omni parte ostendere necesse est, ut illam norit, ut illam quasi propria effigie signatam in memoriam condat.

— Quanto magis, ait Camillus, festinationem Cæsaris diligo! Non ille tempus terit, non ille pleno quæ manent de pectore congerit. Qua quondam celeritate legiones e Gallia in Græciam, e Græcia in Asiam, in Africam, in Hispaniam duxit,

(1) Tac. Or. 18. — (2) Tac. Or. 18.

eadem nunc lectorem rapit. Neque id assequitur Sallustii more, macilenta quadam et egena verborum parcimonia, sed rerum liberali largitione. Res apud eum primas tenent, imo imperium exercent. Res urgentur rebus, et verba secum ut serva trahunt. Sæpe etiam in ea tanta concitatione, conjunctiones omittit, copulas omnes negligit, e membro in aliud membrum transilit, currendo, saliendo, ad propositum ruit. Non hic igitur invenias illam majestatem, illam amplitudinem, pontificis ad aras procedentis : non tantum et tam impeditum celer ille incessus apparatum patitur. Non ab eo petenda est illa tantis laudibus apud rhetores celebrata copia dicendi, quæ haud scio an nihil aliud sit quam cogitandi egestas. Quidquid opus est ad sententiam significandam, ad orationem claram ac pellucidam, montani fontis instar, faciendam assumit : nihil autem amplius. Nihil inane, nihil inutile, nihil non necessarium. « Est modus in rebus, » inquit poeta : modum illum certosque recti fines egregie novit ac tenet. Hinc severa illa atque imperatoria brevitas, lucida tamen cum perspicuitate conjuncta ; hinc illa cum sobria quadam nec tamen jejuna simplicitate summa vis. Cujus effigiem pulcherrimam ac simillimam clarus aliquis e nostris scriptoribus (1) invenisse mihi videtur, in illo gladiatore antiquo, cujus intenti omnes nervi prominent; quique, etsi nihil ad voluptatem oculorum facit, nuda tamen et sola roboris ac vigoris specie oculos moratur ac delectat.

Nolite igitur apud eum quærere ornamenta illa orationis adventitia, aut fastum ambitiosum, aut splendorem extrinsecus allatum, aut illa in rhetorum officinis fabricata fulgura. Non ille in concinnandis cincinnis, aut in aliis istius modi nugis elaborandis operam perdit : major est animus ille dictatorius et ad majora tendit, quam ut eo descendere sustineat. Neque solum hunc ornatum, hanc concinnitatem non sectatur, sed etiam ultro eam tanquam vestem, splendidam quidem, propriæ tamen formæ pulchritudini officientem, detrahit. Imo nonnunquam ultro ostendit ac præfert aliquam negligentiæ et incuriæ spe-

(1) Villem. Hist. sec. XVIII, t. II, p. 174.

ciem (1). Quoties arguti sermonis amatores offenduntur vocalium earumdem concursu, quod molles eorum aures aspero hiulcoque sono lædat! Quis autem non millies animadvertit eum, perspicuitati dum unice studet, ne in locum nominum pronomina subjiciat, ne in oratione apte struenda immoretur, verbo « res » frequentissime uti atque abuti; quæ vox, ut festinanti et curæ parcenti sit commodissima, minime tamen conferre videtur ad elegantiam. Sæpe etiam plenius loquendi studio, verba quædam addit, quæ optimorum scriptorum plerique omittere solent. Non enim ille in unum milites cogit, sed in unum locum; non e Britannia solvit, sed naves solvit; non in manibus hostes habet, sed in manibus suis; et sexcenta hujuscemodi. Sæpius eamdem vocem bis terque, nullo fere interjecto spatio repetit, ut omnem tollat ambiguitatis suspicionem. Imo latinam interdum consuetudinem deserit, latini sermonis leges violat, neque Genevam se pervenisse dicit, sed ad Genevam; neque Lutetiam proficisci, sed ad Lutetiam. Tanta fuit ei perspicuitatis cura, tanto id persecutus est studio, ut cogitata luce clariora audientibus faceret! Perinde ac si voluisset, ut terris omnibus imperatorem se et dominum imponere, ita ab omnibus terrarum gentibus quam facillime legi et intelligi (2).

Cave tamen existimes rusticam esse illam simplicitatem, illamve negligentiam inurbanum aliquid sapere quod fastidium movere possit. Inest enim omnibus ejus scriptis naturalis quidam lepos et venustas innata quæ eo magis delectant, quod nullo labore quæsita, sed sponte sua, felicis naturæ ubertate, genita esse manifestum est. Purus inprimis sermo est, atque ex integerrima veterum consuetudine, quasi quodam fonte

(1) Idem et Lipsius, elect. 2, 7: « Lege, relege, multa otiosa reperies, dis« juncta, intricata, interpolata, repetita: ut omnino non absit quin ad hanc « prisci operis statuam novella accesserit et imperita manus. »

(2) Idem et de Augusto sedulo Cæsaris imitatore narrat Suetonius: « Præcipuam curam duxit sensum animi quam apertissime exprimere. Quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neque conjunctiones sæpius iterare, dubitavit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Suet. Oct. 86.

sacro, manat. Acerrimum quoque et fastidiosum patricii Romani judicium notandum est, quod nihil putidum, nihil veteratorium, pati possit; gratiam vero, et decus, et pulchritudinem, quasi quodam subtiliori sensu percipere, et ultro per otium atque, ut ita dicam, per jocum exprimere valeat. Nuda igitur ejus oratio est et inculta : quid autem juvat quod per se suavissimo renidet colore, candore aut rubore medicato pingere ac polluere? Casta hæc est virgo, incorrupta et rudis, quæ, calamistrorum aut margaritarum ne nomen quidem novit; quæ, qualem natura finxit, esse gaudet incompta et inornata, quumque id ipsum decet.

Quamvis autem mihi valde placeat genus illud dicendi temperatum, verecunda tantum ac decora simplicitate ornatum, non me fallit ei nihil inesse quod vulgi admirationem commoveat. Delicatior cibus ille est quam ut obtusum et rude palatum possit tangere. Confitendum est igitur non inde Cæsari contigisse eximiam illam oratoris famam. Unde igitur ortam esse credamus? Venio nunc ad præstantissimam illius dotem et facultatem, quæ quidem haud scio an nullo in alio, sive oratore, sive homine, tanta unquam fuerit : scientiam dico et usum hominis. Ejus virtutes, ejus vitia, quidquid inest boni, quidquid mali pariter novit. Hoc ei divinitus datum esse credas, ut nulla ei pectora essent clausa; ut in omnia penitus penitusque descendere liceret, eorumque omnes recessus penetrare, omnes latebras perlustrare. Cum igitur ad ea capienda aciem instruit tormentaque admovet, quidquid in illis firmum est adituque difficili primo statim aspectu perspectum notumque vitat; quidquid autem aut apertum est, aut indefensum, aut minus arduum, protinus sensit atque invasit. Ergo animos tanquam captivos tractat et regit; eos flectit ac temperat, nunc sedat iratos, nunc fractos erigit atque impellit, ad arbitrium. Haud aliter apud Virgilium ventorum regem videmus populo suo imperantem :

.... Celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras.

Cæsar autem in molliendos animos aut iras temperandas non multum operæ insumpsit. Sceptra ei sunt aculei et faces,

quibus acuat atque incendat. Illum enim fatendum est, ut summo in honore habuisse virtutes quæ modo sibi prodessent, ita vitiis sæpius usum fuisse; ut par fuit, contra jus et fas ad imperium grassanti. Cupiditatem præsertim et metum, summos illos vitæ humanæ duces et imperatores, ad consilia perficienda socios sibi adjunxit. His auxiliis senatum de pœna Catilinæ consciorum deliberantem in suam sententiam, quamvis reluctantem, traxit; his Romanorum primores singulos illexit, cœptisque suis aut non obstare aut inservire coegit; his denique Romanos milites adversus patriam et penates duxit. Equidem satis mirari non possum, quam acri, quam præsenti ingenio semper inveniat, ubi quid cuiquam persuadendum susceperit, quodcunque ad eum flectendum et impellendum maximam vim habeat; quanta solertia, quanto judicio materiam illam ita componat atque concinnet, ut varia argumenta sibi invicem opem ferant, ut aliud alii aditum paret, ut denique omnes animorum motus, omnes affectus subsequatur, eisque singulis morem semper gerat. Colloquium, hercle, illud est, non oratio. Silet quidem audientium turba : sed quid nunc timeat, quid deinde cupiat, quid tacito corde roget, quid rogare eam aut pudeat aut pigeat orator intelligit, atque interroganti statim respondet. Mihi quidem nonnullas ejus conciones legenti, legere simul videor in animis audientium, et in eorum frontibus cernere omnes cupiditatum, quibus semper ardent, mutationes ac vices. Prolato exemplo clarius intelligetis quid dicam.

Duarum autem concionum (1) ad propositum meum aptissimarum utra potissimum sit eligenda dubius sum. Altera (2) enim quam Curioni affinxit, scripta oratione recta et arte diligentiori elaborata, splendidior fortasse est et majori cursu sonituque fertur. Hanc tamen Cæsar non ipse habuit ad milites, ut omnia in illa non ex veritate tradita nobis sint, sed

(1) Præclara est etiam ejusdem generis epistola, qua Ciceroni suadet, bellorum civilium initio, « neque tutius neque honestius esse quidquam, quam ab omni contentione abesse. » Cic. Ep. ad Att. 10, 8.

(2) Cæs. de Bell. Civ. 2, 32.

ex veri similitudine ficta et composita. Veriorem igitur alteram (1) potius sumamus, qua perterritum Ariovisti adventu exercitum confirmavit.

Quis autem status rerum et animorum fuerit meministis. Adventare dicebatur hostium genus humano majus; statura, robore, exercitatione in armis formidandum; cujus ne vultus quidem atque acies oculorum ferri posset. Hinc consternatæ omnium mentes, dejecta ora : ubique pavor, luctus, lacrymæ. Nonnulli, excusatione ficta, e castris Romam fugiebant; cæteri testamenta obsignabant; et Cæsari renunciabatur, cum castra moveri jussisset, *non fore dicto audientes milites, neque propter timorem signa laturos*. Eo altius penetraverat id malum, quod ab iis ipsis quorum virtute et prudentia ad sanandas vulgi mentes confidere debuerat imperator, a tribunis militum, præfectis, centurionibus, totius initium morbi profectum esse constabat. Unus igitur Cæsar contra omnes : eoque iniquiori loco erat res, quod hoc bellum neque senatusconsulto neque lege jussum, sed ab eo ultro susceptum esse neminem fallebat; et magna erat suspicio periculum recusantibus paratam esse Romæ apud principes et facilem veniam et gratiam. Neque igitur minis, neque suppliciis licebat imperium confirmare, neque niti legibus et majestate populi romani : spes et opes omnes in eloquentia positæ erant. Quid autem, surdis et formidine obseratis auribus, potest eloquentia?

Hic autem novum etiam oriebatur et anceps periculum. Primum enim, si graviori oratione metum et ignaviam exprobrare vellet, timendum erat ne ex pudore dolorem et iras, ex desperatione seditionem concitaret; sin autem indulgere et morem gerere ægris mentibus vellet, ne ipse animum despondere, ipse se deserere et imperio se abdicare visus, despectus ac vilis fieret. Audite Cæsarem, utque sese ex omnibus laqueis expediat, attendite : « Convocato concilio, omniumque ordi« num ad id concilium adhibitis centurionibus, vehementer eos « incusavit. » Num quod animum despondissent? Minime. Quamobrem scilicet? « Quod, quam in partem aut quo con-

(1) Cæs. de Bell. Gall., I, 40.

« silio ducerentur, sibi quærendum aut cogitandum putarent. » Suscepit igitur primum, ut imperatorem in tumultuantes milites decuit, vehementi incusatione. Quanta autem solertia, id non tangit quod sanare vult, quod ægerrimum est, et remedia pati posse non videtur. Provisa ac parata omnibus fuisse responsa par est adversus timoris insectationem : ludit autem eos, atque id objicit quod ne ipsi quidem reprehensione dignum negent, cujusque confessio nihil habeat neque pudoris neque infamiæ : disciplinæ scilicet violatas leges.

Num autem callida illa objurgationis simulatione nihil aliud assequitur, nisi ut dignitatem imperii retineat, ut illos, qui clamores et fortasse minas meditabantur, silentes jam et attentos et quasi confitentes reos habeat? Magnum id quidem ; sed etiam quod multo majus est, dubitationem jam iis injicit, an vel minimam timendi causam habuerint. Quam enim in partem, quo concilio ducantur, quis novit, nisi Cæsar, dux idem belli et arbiter? Urget igitur ille : « Ariovistum, se consule, « cupidissime amicitiam populi Romani appetisse ; cur hunc « tam temere quisquam ab officio discessurum judicaret? Sibi « quidem persuaderi, cognitis suis postulatis, atque æquitate « conditionis perspecta, eum neque suam neque populi Ro- « mani gratiam repudiaturum. »

Videsne qui repente pudor, quæ pœnitentia, omnes illos centuriones, præfectos, tribunos militum, strenuos ac fortes viros invadat, quum sentiant in oculis et militum et ducis sui turpissimum a se proditum esse metum, cujus nulla fortasse aut ratio aut excusatio possit afferri ; a se tam vehementer formidatum fuisse hostem, de quo ne id quidem compertum habeant an sit hostis, an contra Cæsarem arma ferre audeat. Vides ut iis sensim redintegretur animus, et quod eos pavoris inconsulti pudeat ; et quod cogitent Germanos illos, neque adeo formidandos esse qui ultro petiverint amicitiam Cæsaris, et nunc fortasse quanto sibi terrori sint, tantum a se terreri?

Nunc igitur demum, postquam eos videt culpæ suæ conscientia victos ac sibi obnoxios, apertius in rem orator invehitur ; nunc demum vulneri manum admovet, mollem tamen etiam nunc et blandam manum, et quæ fomentis severiora medica-

mina temperet. Quanto enim dicendi artificio, dum eos reprehendit, eorum virtutem suamque diligentiam laudat, exercitus Cimbrorum victoris gloriam ostentat, omnia denique proponit quæ ad confirmandos erigendosque eorum animos conferre possunt. « Quod si furore et amentia impulsus (Ariovistus), « bellum intulisset, quid tandem vererentur? Aut cur de sua « virtute ac de ipsius diligentia desperarent? Factum ejus « hostis periculum patrum nostrorum memoria; cum Cimbris « et Teutonis a C. Mario pulsis, non minorem laudem exerci- « tus quam ipse imperator, meritus esse videbatur : factum « etiam nuper in Italia servili tumultu, quos tamen aliquis « usus ac disciplina, quam a nobis accepissent, sublevaret; ex « quo judicari posset, quantum haberet in se boni constantia; « propterea quod, quos aliquandiu inermes sine causa timuis- « sent, hos postea armatos ac victores superassent. Denique « hos esse eosdem Germanos, quibuscum sæpenumero Helvetii « congressi non solum in suis sedibus, sed etiam in illorum « finibus, plerumque superassent, qui tamen pares esse nostro « exercitui non potuerint. Si quos adversum prælium et fuga « Gallorum commoveret, hoc si quærerent reperiri posse, diu- « turnitate belli defatigatis Gallis, Ariovistum, cum multos « menses castris ac paludibus se continuisset, neque sui po- « testatem fecisset, desperantes jam de pugna et dispersos « subito adortum, magis ratione ac consilio, quam virtute « vicisse : cui rationi contra homines barbaros atque imperitos « locus fuisset, hac ne ipsum quidem sperare nostros exercitus « capi posse. »

Nonne hic admirandum vobis videtur, quanto judicio exempla ad rem maxime facientia elegerit; quam sapientibus ac manifestis rationibus ea confirmaverit; quanta denique calliditate suam et militum gloriam miscuerit? Nunc tandem sanatas esse mentés et valere intelligit; nunc igitur altius in eas et vehementius descendere non dubitat, ut quidquid adhuc lateat mali omnino recidat.

« Qui suum timorem in rei frumentariæ simulationem an- « gustiasque itineris conferrent, facere arroganter, cum aut de « officio imperatoris desperare aut ei præscribere auderent.

Timorem ergo nunc primum nominat, nunc primum palam aggreditur, postquam victus cessit. Nunc autem omnia ei vela detrahit, nulla perfugia relinquit. Quam induit prudentiæ speciem, vanam esse et mendacem ostendit,

« Hæc sibi esse curæ : frumentum Sequanos, Leucos, Lin-
« gones subministrare; jamque esse in agris frumenta ma-
« tura ; de itinere, ipsos brevi judicaturos. »

Nulla igitur ne ficta quidem aut simulata timendi causa manere potest ; nulla detrectandi imperii excusatio ; erecti denique elatique sunt omnium animi et suarum victoriarum memoria, et Romanæ fortitudinis ac disciplinæ laudibus. Via tandem patefacta, ad id venit quod gravissimum eorum desperationis et amentiæ indicium fuit.

« Quod non fore dicto audientes, neque signa laturi dican-
« tur, nihil se ea re commoveri : scire enim, quibuscunque
« exercitus dicto audiens non fuerit, aut male re gesta fortu-
« nam defuisse, aut aliquo facinore comperto avaritiam esse
« conjunctam : suam innocentiam, perpetua vita ; felicitatem,
« Helvetiorum bello esse perspectam. Itaque se, quod in
« longiorem diem collaturus esset, repræsentaturum ; et
« proxima nocte de quarta vigilia castra moturum, ut quam
« primum intelligere posset, utrum apud eos pudor atque
« officium, an timor plus valeret. »

Nonne hic animadvertitis non eumdem orationis tenorem, flatumque servari, lenius nunc agi ac mollius ; atque, ut ita dicam, vocem motumque ac spiritum remitti ? Neque, ni fallor, immerito. Primum enim efferentibus sese ac lascivientibus militibus, et ducem et imperatorem ostendere debuit, et eos vehementer incusando exorsus ostendit. Ut autem nihil hac severitatis ostentatione in discrimen adduceret, ea tantum incusavit quæ parva essent, quæ nemini dolorem ruboremve inferre possent, et de quibus imperatori morem gerendum esse ultro omnes faterentur. Nunc autem domitis jam et erga se optime animatis comem se et mitem incolumi dignitate præbeat licet, idque tum tutius est, tum ad conciliandos animos accelerandamque pœnitentiam magis valet. Ergo quum audiverit imperium suum contemptum ac proculcatum

iri, quod molestissime ab eo ferri æquum erat, nihil indignatur, nihil irascitur, nihil minarum pœnarumve ostentat. Id tantum profitetur se talia ab illis nequaquam meritum esse, tale igitur nihil timere; ac protinus experturum, utrum apud eos pudor et officium, an timor plus valeret. Nonne vides omnem audientiam, conversis jamdudum mentibus, èt ad fiduciam sui et Cæsaris admirationem traductis, surgentem et timoris suspicionem a se propulsantem, et conclamantem una voce quocumque ducere velit secuturam se aut antecessuram?

Neque id tamen oratori satis est : acerrimos militaribus animis stimulos subdit, æmulationem ac certamen fortitudinis et gloriæ : « Quod si præterea nemo sequatur, tamen se cum « sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibique « eam cohortem prætoriam futuram. »

Quid vobis videtur? Num fuisse unquam oratorem putatis in tractandis hominum ingeniis callidiorem ac prudentiorem? Dicam equidem quod sentio, non magis eum in armis quam in eloquentia præstitisse, neque magis agendo ac vincendo quam loquendo terras domuisse. Sed vos quid effecerit tam callida oratione audire gestientes video.

« Hac oratione habita, mirum in modum conversæ sunt « omnium mentes, summaque alacritas et cupiditas belli « gerendi innata est : princepsque decima legio per tribunos « militum ei gratias egit, quod de se optimum judicium fecis- « set, seque esse ad bellum gerendum paratissimam confir- « mavit; deinde reliquæ legiones per tribunos militum et « primorum ordinum centuriones egerunt, ut Cæsari satisfa- « cerent : se, neque unquam dubitasse, neque timuisse, « neque de summa belli suum judicium sed imperatoris esse « existimavisse. »

Hæc ego non laudanda esse reor, sed tantum legenda : ipsa enim sese satis laudant.

Concionem tamen illam non sane pulchram satis, at mancam, humilem, contemnendam denique æstimavit Dio Cassius, qui eam sibi corrigendam, aut potius funditus reficiendam judicavit. Nonne operæ pretium facturos nos putatis, si illam simplicem, ab omni oratorio fastu abhorrentem, atque

ex tempore ut verisimile est, et dictam et scriptam, cum hac expolita et omnibus rhetoricæ artibus elaborata (1) conferamus? Quam quidem non totam legendam, neque per partes excutiendam esse nobis censeo; nam, si alia nulla re, mensura certe et copia mirum in modum Cæsaris orationi præstat. Summatim tantum quærere melius est quibus argumentis potissimum usus sit scriptor, quo illa ordine composuerit, quænam denique sit apud eum tota suadendi ratio et via.

In duas primum partes dividenda est illa concio, quarum posterior de Ariovisto et de instante bello meminit, prior vero ne mentionem quidem facit. Disputatio quædam hæc est de publicis privatisve utilitatibus, de fortitudine atque ignavia, de parvis ac de magnis civitatibus, de bello denique et pace, qua philosophis in schola sedentibus demonstrari queat pulchrum ac decorum esse pro patria pugnare. Nihil autem inest quod militibus, Germaniæ robur et egestatem horrentibus, animos possit addere.

Posterior vero pars ad rem quidem magis pertinet, non autem magis valet. Primum enim totis eloquentiæ viribus ad id incumbit orator, ut ostendat non injuste bellum esse susceptum, tanquam id curent Cæsariani milites! Quinetiam optima ei profecto res est, quod illud parvi faciant : nihil enim aliud ostendit nisi iniquissimum bellum esse. Omnia enim Ariovisti scelera, quæ summa verborum copia et profluentia exaggerat, hæc sunt : ad ducentesimum lapidem venire ad colloquium jussus, hoc sibi iter faciendum non arbitratus est. Nonne lepidam hanc causam perterritis militibus visum iri putatis, cur ipsi ad longinquæ expeditionis labores, ad ignotæ regionis angustias et dolos, ad famem denique et vulnera et cædes, nulla vincendi spe, objiciantur? Quanto satius erat id, sive à militibus neglectum negligere, sive ab iis quæsitum silentio tegere, atque omnem curam in minuendam eorum formidinem conferre?

Postremo quum ad finem venit, timere suos recordari videtur, atque ita timere, ut ex iis quæ sapientissime adhuc con-

(1) Dio. Cass. 38, 36-46.

cionatus est, nihil sane præ metu audiverint. Ergo eos docere aggreditur non invictum esse Ariovistum. Quod ut probet, nonnulla fingere, quædam etiam, vix audeo dicere, mentiri non dubitat. Nihil scilicet de bello cogitare Ariovistum, neque quidquam paratum habere; quamvis antea iisdem ipse dixerit eum omnia parata habere, non modo ut Cæsari haud impar sit, sed etiam ut Romanis possit imperare : neque affinium ullam gentium opem ei laturam esse, quum Cæsar ipse non minimam fuisse hanc belli causam retulerit, quod novæ in dies Germanorum catervæ Rhenum transirent. Nonne manifestum est his eum commentis nemini fucum facturum, sed contra plus formidinis omnibus illaturum fuisse, injecta animis ea suspicione, adeo horrenda illa esse, ut ea fateri ipse non auderet?

Quæ sequuntur : « voce hominem nullum unquam necatum « fuisse, neque pluribus Germanorum corpora quam Romano- « rum brachiis instructa esse, » verissima quidem sunt, gravissima vero non item. Sunt et alia quædam ad rem aptiora : « præstare Romanos belli scientia, et ratione armorum quibus « corpus tectum haberent. » Hæc autem Cæsar, ut qui audaciæ suæ militem et constantiæ potius quam armorum tutelæ fidere vellet, negligenda sibi esse duxerat. Quid deinde? Quo tandem consilio Gallos Germanorum similes esse ac sibi auxiliaturos narrat, nisi ut suis hanc spem subjiciat, fore ut sub Gallorum tutela et umbra lateant. O virum prudentem et callidum, qui, dum cupit exercitus virtutem ad vincendos Germanos accendere, in Gallorum subsidio toties a Germanis fugatorum omnes sibi opes esse sitas fateatur?

Majoris quidem judicii sese deinde præstitit, quum a Cæsare id mutuatus est quod de legione decima dixerat : id autem ipsum, exornandi studio, plane deformavit. Non enim modo se de ea legione non dubitare profitetur, sed etiam se compertum habere ituram illam, etiamsi per medios ignes oportuerit, et quidem nudam, et summa alacritate. Ducisne illud est ac viri de rebus seriis agentis, an declamatoris ad nugas amplissimis verbis ornandas æstuantis? Neque tamen illud satis magnum videtur : quasi vere consilium inierit Ariovisti cum una legione

debellandi, « abscedite, exclamat, abscedite cæteri quam citis-
« sime, neque hic mihi nequicquam molestias afferte, tum « publica temere absumentes, tum alienum laborem vobis « vindicantes, et prædam ab aliis partam rapientes. »

Perorationem certe magis urbanam et ad sedandos alliciendosque animos magis accommodatam reperiri potuisse constat, in eos præsertim quibus ipse paulo ante dixisset se nihil de eorum sapientia, virtute, amicitia dubitare. At sibi cum Cæsare certamen eloquentiæ proposuerat ; cumque ille testatus esset ausurum se cum una legione adversus barbaros proficisci, hic, ut cui illius audaciam et vim dicendi vincere certum esset ac destinatum, cæteras sibi legiones esse dimittendas et probris insectandas judicavit. Hanc autem victoriam et laudem adeptus est, ut Cæsarem non modo non superasse, sed ne intellexisse quidem videatur.

— Nimia, inquit Valerius, superbia de absente triumphum agis ; et, quamvis parem alium quocum Cæsarem componeres meliorem inveniri potuisse existimem, non possum tamen quin hujus ipsius defensionem suscipiam. Non enim, reor, eloquentiores et ad persuadendum aptiores suas quam Cæsaris orationes putavit Dio : sed, quod plerique scriptores faciunt, et historiam et in ea conciones, ut ætati suæ placeret ac mederetur, composuit. Non igitur apud Cæsarianos, si mihi credis, sed apud prætorianos quosdam milites concionantem se sibi fingebat, eisque de modestia et abstinentia ac de patriæ amore dabat præcepta quibus eos eguisse non negabis ; et quæ coram dicere fortasse non ausus esset, sub aliena specie clamare gaudebat. Quæ quidem suspicio ejus eloquentiam potiorem non facit, illum autem stultæ arrogantiæ crimine absolvit.

— Cui statim Camillus : parem petis meliorem ? Lucanum igitur cum eo componamus, celeberrimum illum Virgilii æmulum, quem « ardentem, concitatum, sententiis clarissimum, et « magis oratoribus quam poetis annumerandum (1), » judicat Quinctilianus. Qui tamen, ut dicam quod sentio, audacius quam felicius cum Cæsare decertavit. Orationem enim ad mi-

(1) Quinct. 10, 1.

lites trajecto Rubicone habitam et in Pharsalia et in Commentariis legamus licet. Quod ad verba pertinet, Lucano non vitio vertam quod suam ipsius eloquentiam Cæsari tribuerit. Res autem veras et affectus audientium, et Cæsaris in regendis animis vim et calliditatem, nonne debuerat nosse et exprimere? In ea tamen oratione, illum ejus splendorem, illum ejus fastum ambitiosum mirari licet; quod autem me doceat tempus, mores, cupiditates, et audientium, et loquentis, nihil invenio. Scriptam illam esse patet in cubiculi silentio et otio ad delectandum auditorem, non actam inter tumultum et clamores ad alliciendos milites.

> « Bellorum, o socii, qui mille pericula Martis
> « Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno (1). »

Non tam grandi voce incipit Cæsar, neque eo tum animo est ut ea se jactet gloria. Non enim eum fugit omnem se auctoritatem et jus imperii trajecto Rubicone exuisse, socium se jam, non ducem, videri suis militibus; atque, ut breviter dixit ipse Lucanus, facinus eos æquare quos inquinat (2). Illis igitur protinus ostendit quidquid aptissimum est ad eorum animos permovendos, imperatorem suum tot victoriarum gloria sibi sacrum, injuriis inimicorum ad querelas et preces descendere coactum : « omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat (3). » Non ea in Pompeium arrogantia invehitur ut longa solutum pace, ut similem eum dicat tigribus feris, quas

> « Altus cæsorum pavit cruor armentorum (4); »

ut denique ipsum ista comitate et urbanitate alloquatur :

> « Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum,
> « Durat, Magne, sitis .... (5).

Non enim, reor, oblitus est eum sibi non tanto antea tempore et socium et amicum et generum fuisse; et, si nihil aliud, magnum certe apud milites nomen habere. Itaque illum adeo non conviciis lacerat, adeo non ejus gloriæ et potentiæ sese adver-

(1) Luc. Phars. 1, 100. — (2) Luc. Phars. 5, 289.
(3) Cæs. de Bell, Civit. 1, 7. — (4) Luc. Phars. 1, 330.
(5) Luc. Phars. 1, 331.

sari et æmulari profitetur, ut ab inimicis suis « inductum et de-« pravatum Pompeium queratur, invidia atque obtrectatione « laudis suæ, cujus ipse dignitati et honori semper faverit (1). » Tunc demum vocem tollit, cum eos misericordia affectos, et indignitate rei exardescentes in iras videt; tunc demum et labores et pericula, et victorias, quarum eos testes habuit et socios commemorat.

Haud aliter in concione ante Pharsalicam pugnam habita, ut fere in omnibus, apud Lucanum, declamatorem quemdam audio admirationem vulgi verbis ingentibus et interdum dementibus captantem :

« .... Videor fluvios spectare cruoris,
« Calcatosque simul reges, sparsumque senatus
« Corpus, et immensa populos in cæde natantes (2). »

Quanto satius, quantoque honestius Cæsar, « exercitum cum « militari more ad pugnam cohortaretur, suaque in eum per-« petui temporis officia prædicaret, in primis commemoravit, « testibus se militibus uti posse, quanto studio pacem petisset : « quæ per Vatinium in colloquiis, quæ per A. Clodium cum « Scipione egisset ; quibus modis ad Oricum de mittendis lega-« tis contendisset ; neque se unquam abuti militum sanguine, « neque rempublicam alterutro exercitu privare voluisse (3). » Hæc erant ejus modestiæ et comitatis, hæc ejus calliditatis et solertiæ : illud autem dirum spectaculum non modo non optare potuit Cæsar, sed ne bellua quidem videre oculis irretortis sustineat. Postremo quid sentiam de utroque aperiam vultis? An res valeant Cæsar quærit, an verba splendeant Lucanus. Illi satis est, si sapiat oratio ; huic ea demum sapere videtur, quæ fulget.

Inde igitur manifestum esse arbitror, quantum sit et quam arduum, in tractandis hominum mentibus modum tenere, neque solum videre quid sit dicendum, sed etiam quid non dicendum sit. Quam prudentiam in Cæsare singularem ac summam invenimus. Omnes enim Commentariorum orationes licet percen-

(1) Cæs. de Bell. Civ. 1, 7. — (2) Luc. Phars. 7, 216. — (3) Cæs. de Bell. Civ. 3. 90.

seamus : eamdem ubique sapientiam, idem judicium, eamdem vim, eamdem denique et hominum et rerum scientiam mirabimur. Quanquam autem semper ad propositum festinat, nec unquam in nugis et jocis moratur, sæpius tamen quem sibi proposuerit finem non recte æstimanti, aliena quædam loqui videri possit. Astutus (1) enim ille est et orator et imperator, ac per ignotos sæpe et obliquos calles itineris occultandi causa progreditur : alio iturum se ostendit, alio pergit. Quamobrem, ne in fraudem incidamus, quo reipsa tendat diligenter considerandum est.

Hic mihi venit in mentem suspicio quam vobis aperire libet. Quam enim ei causam fuisse putatis cur Commentarios scriberet ? Ut rerum gestarum memoriam immortalitati commendaret ; ut etiam fortasse eloquentiæ laudem sibi pararet ? Hæc ei omnia cordi fuisse manifestum est. Fuit autem, si me audiatis, aliquid etiam majus : posteris scilicet atque etiam æqualibus suis approbare voluit consilia sua atque incepta, versorumque in patriam armorum invidiam minuere. Fuit hæc quasi quædam machina, qua Pompeium, Catonemque et omnes inimicos suos omnino debellaret, qua non modo de potentiæ fastigio dejiceret, sed etiam de Romanorum amore et admiratione, tanquam de summa eorum arce, deturbaret. Oratione quidem scripta tanquam apud judices causam dicere, neque ejus dignitatis erat, neque fidem habuisset. Historiæ autem summa modestia compositæ et plerumque ex veritate quis diffidat ? Huic tamen intexta latet callidissima quædam et acerrima innocentiæ suæ defensio, et adversariorum suorum insectatio, quæ non alias magis perspicua est quam in illis quas, aut ipse dixit, aut ab aliis dictas fuisse narrat, orationibus. Hæc igitur consideranti multa clara ac vivida fient, quæ antea videbantur inutilia et languida,

Quum enim Ariovistum audimus, in colloquio de conditionibus pacis habito, ad postulata Cæsaris respondentem : « Quod si eum interfecerit, multis sese nobilibus principibus-

(1) Astuti ejusdem erat, et cujuslibet rei simulatoris ac dissimulatoris, tectam hanc et arcanam scripturæ formam excogitare de qua vide A. G. 1, 9.

« que populi Romani gratum esse facturum ; id se ab ipsis « per eorum nuntios compertum habere ; quorum omnium « gratiam atque amicitiam ejus morte redimere posset (1) ; » quomodo ista ad postulata Cæsaris respondeant miramur. Ubi autem cogitamus quantum hic ex improviso et quasi ex insidiis in Cæsaris inimicos crimen intendatur, quum fuisse illos patriæ proditores, et cum populi Romani hoste consilia communicasse ex ipsius illius hostis confessione appareat, nihil jam miramur, cuncta liquent. Non negaverim equidem tale quidquam ab Ariovisto dici potuisse ; haud absurdum tamen est suspicari hoc a Cæsare expolitum et ornatum fuisse quasi telum ; haud dubium certe est, eum sibi ac fortunæ suæ gratulatum fuisse quod homine barbaro, nulla secum amicitia conjuncto, atque ita minime suspecto, tanquam accusatore adversus inimicos, uti posset.

Vultis nunc quædam afferri quæ purgandi sui causa scripserit ? Orationem sumamus qua Massiliensibus suasit ut sibi portas urbis aperirent. « Cum his agit, ne initium inferendi » belli a Massiliensibus oriatur ; debere eos Italiæ totius auc« toritatem sequi potius quam unius hominis voluntati obtem« perare. Reliqua, quæ ad sanandas eorum mentes pertinere « arbitrabatur, commemorat (2). » Omisit igitur illam orationem, indignam sane ex ejus sententia, quæ in Commentarios esset relata ; sed totam non omisit. Quid igitur ex ea potissimum excerpit ? Quid posteris tradendum curat ? « Debere « eos, scilicet, totius Italiæ auctoritatem sequi potius, quam « unius hominis voluntati obtemperare. » Cui non apparet hanc eum opinionem serere voluisse, secum esse Italiam et Romam, secum stare leges et deos patriæ ; adversus se unum esse hominem. Ergo cum Pompeii legati cives orant Orici atque Apolloniæ, ut ad Cæsarem arcendum arma capiant, quid respondentes Græcos inducit ? « Se contra imperium « populi Romani pugnaturos negant.... (3). Se portas consuli « non præclusuros, neque sibi judicium sumpturos contra

(1) Cæs. de Bell. Gall. 1, 44. — (2) Cæs. de Bell. Civ. 1, 35.
(3) Cæs. de Bell. Civ. 3, 11.

« atque omnis Italia et populus Romanus judicavisset (1). » Vides ut illo consulis nomine, quod tamen ei non Roma sed arma dederunt, glorietur; ut Pompeium populi et totius Italiæ judicio damnatum clamet; ut denique patriæ jam hostem ex totius Græciæ sententia eum esse prædicet?

Sed contra nihil unquam ab ullo homine dictum fuisse credas quod Cæsarem posset lædere : tanta hæc omnia diligentia oblitus est; nihil etiam ipsum unquam locutum esse, quod non ex ipsius justitiæ ore profectum videretur. Cui tamen persuaderi possit, Romanos milites infesta signa Romæ intulisse, æquitate tantum rei perspecta? Romanis militibus, ut id nefarium scelus auderent, nullam aliam spem propositam fuisse, nisi, ut ipse fert, tribunitiæ potestati allatam vim et acceptas a Cæsare injurias ulciscendi? Cum igitur hæc tantum eis a se fuisse commemorata narrat, nonne dissimulationis eum insimulat res ipsa? Neque id conjectura tantum inani licet assequi; testem (2) Suetonium citare possum. Quis enim apud eum non legit Cæsarem affirmasse, ad concitandos alliciendosque milites, se, ad satisfaciendum omnibus per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi; quumque ut illud clarius significaret, sæpius ostentasset digitum lævæ manus, extremam concionem, cui facilius erat videre concionantem quam audire, singulis militibus annulorum jus et equestres census ab eo promitti existimavisse (3)? Justitiæ igitur pulchritudine, haud magis quam præmiorum et auri

(1) Cæs. de Bell. Civ. 3, 12.

(2) Testis est etiam gravior Pollio Asinius, qui narrat Cæsarem pleraque et quæ per alios erant gesta, temere credidisse; et quæ per se, *vel consulto*, vel etiam memoria lapsum, perperam edidisse. Suet. Cæs. 56. Imo, ipse etiam se aut erroris coarguit aut mendacii. Confer. commentariorum de Bell. civ. lib. 1, c. 24-26, cum epistolarum ad Att. lib. 9, epist. 13. Ibi enim id agit ut ipse omnia de pace tentavisse videatur, et ne responsum quidem a Pompeio elicere potuisse. Hic autem ad amicum, Cornelium Oppium scribit; missum a se de pace a Pompeio Cn. Magium, et se quæ visa sint respondisse. Non modo igitur responsa dabat de pace Pompeius, sed etiam ultro ipse ad Cæsarem, suum mittebat præfectum, quem ille deinde deprehensum ex itinere atque ad se reductum esse in commentariis fingebat.

(3) Suet. Cæs. 33.

splendore, militum suorum oculos perstrinxit. Magis autem ad gloriam famamque apud posteros profuturum sibi arbitratus est, legum se propugnatorem et tribunitiæ potestatis vindicem haberi, quam prædonum ad prædam ruentium ducem (1).

Quanquam omnia referre neque possum, neque, ne vobis tædium moveam, volo, nequeo tamen prætermittere orationem ad Afranium (2). Hoc enim est in ea singulare, quod si unum ad Afranium spectet, nihil unquam inutilius, nihil inanius possit excogitari. Cum enim ille victum se fateatur et ad misericordiam victoris confugiat, hic mitem se et misericordem præbere decreverit, quis locus est eloquentiæ? Quid restat, nisi ut conditiones pacis victor dicat, victus accipiat? Cum autem colloquium audiat uterque exercitus, non committet Cæsar ut causam suam agendi apud victos terrore et admiratione perculsos, apud victores gloria et amore exsultantes, pulcherrimam occasionem prætermittat. Ergo simulata in Afranium ira, sub insectationis specie æquitatem suam et misericordiam, modestiam et comitatem jactat; deinde ex adversa parte inimicorum in se injurias, minas, apparatus evolvit, et inusitata quadam copia dicendi amplificat. Quæ omnia, quamvis jam dudum haud semel scripsisset, nunquam satis audiri ac legi posse ratus, iterum in Commentarios referenda curavit.

Hæc igitur in eloquentia Cæsaris, qualem in ejus scriptis quæ exstant videmus, potissimum animadvertenda censeo: vim dicendi et cogitandi summam, in permovendis mulcendisque animis calliditatem et solertiam singularem, orationem autem sobriam et severam, omnem fastum et ornatum omnesque delicias spernentem, lucida tantum splendentem brevitate, qualem denique habere imperatorem et dictatorem decuit.

— Præclare, inquit Valerius, de Cæsaris vi disseruisti; nova etiam et recondita, de ejus in animis hominum flectendis calliditate, in Commentariis invenisti. Hæc ejus eloquentiæ quasi fundamenta fuisse arbitror; ideoque et in illo opere imperfecto

(1) Haud aliter Augustus in suis ὑπομνήμασι nonnulla facinora seu dissimulare, aut excusare voluit. Vid. Egger. Hist. sec. Aug. 1, 1.

(2) Cæs. de Bell. Civ. 1, 85.

tamen tanta esse ut admirationem moveant. Solertiam enim ejus et astutiam omnia facta dictaque declarant : vim autem ingenii et facundiæ iterum atque iterum laudavit Quinctilianus (1), et ipse admodum ei se studuisse testatus est, cum Terentio deesse vim comicam (2) tam vehementer doluerit. Quod autem de ejus brevitate, et de incuriosa illa negligentia, et de illo denique omnis ornatus contemptu, dixisti, de Commentariorum tantum concionibus dictum sit. Hos enim libros parum diligenter scriptos fuisse patet, quum constet eum in cæteris orationibus neque curam neque laborem defugisse. « Bene et composite, inquit apud Sallustium Cato, C. Cæsar paulo ante dixit (3). » Quam eamdem orationem summa cogitatione et cura elaboratam fuisse, atque ut ipsius verbis utar, πεφροντισμένην (4) Plutarchus refert. Num igitur id mirum est? illud contra mirum prorsus et incredibile judicarem, si quis mihi narraret imparatum eum atque inermem ad pugnas forenses accedere solitum fuisse. Quo enim modo fieri potuisset, ut vir non modo consideratus et catus, sed etiam non omnino temerarius ac vecors, cum et suis et sibi instare capitis periculum videret, non omnes ad illud propulsandum vires, omnia auxilia, arma denique omnia colligeret?

Copiam autem dicendi, quomodo aspernari potuisset, qui ad Ciceronem hæc scribere non dubitavit : « Si cogitata præclare « eloqui possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt; cujus « te pene principem copiæ atque inventorem, bene de nomine « ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debe- « mus (5). » Aspernantis est, reor, et negligentis dicendi copiam, copiæ inventorem ducibus summis et gentium domitoribus æquiparare, dicendo auctum esse ab eo et amplificatum nomen populi Romani? Imo, apud A. Gellium legere est duo ejus orationum fragmenta, quæ quidem sunt brevissima, quæsitam tamen illam brevitatem non præferunt. Sumamus igitur orationis, quam pro Bithynis dixit, principium : « Vel pro hospitio

(1) Quinct. 1, 7, 34 ; 10, 1, 114 ; 10, 2, 25 ; 12, 10, 11.
(2) Donat. in Ter. vit. — (3) Sall. Catil. — (4) Plut. Cæs. 7.
(5) Cic. Brut. 72.

« regis Nicomedis, vel pro horum necessitate quorum res agi-« tur, defugere hoc munus, M. V., non potui. Nam neque ho-« minum morte memoria deleri debet, quin a proximis retinea-« tur; neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus « etiam a propinquis nostris opem ferre instituimus (1). » Et hoc ex Cæsaris oratione, qua Plautiam rogationem suasit, excerptum est : « Equidem mihi videor pro nostra necessitate, « non labore, non opera, non industria defuisse (2). »

Num hic igitur angustis terminis inclusa est et coarctata sententia? Nonne contra quasi liberum in campum longe lateque exspatiatur oratio (3)? Tribus certe verbis, opera, labore, industria, rem eamdem significare, minime est imperatoriæ illius brevitatis. Nonne Cæsar quoque videtur æstimasse obseratas plerumque esse et surdas vulgi aures, ideoque ter aut amplius illas animorum quasi januas tundendas esse, ut aperiantur? Nonne hæc est causa cur tam sæpe, quod tu modo animadvertebas, belli civilis causas, tanquam consiliorum suorum defensionem, in Commentarios retulerit? Neque illud igitur callidum fefellit virum, neque magis quantum auribus blandiatur tum vocis suavitas, tum præsertim numerorum concinne cadentium modulatio; quantum mentis oculos capiat atque detineat splendida quædam, et verbis apte translatis illustrata, et variis sententiarum luminibus, quasi stellis, picta et distincta oratio; quam denique aperta, quam munita ad persuadendum via per delectationem pateat. Ista igitur omnia negligere neque gravis neque magnanimi viri, ut tu tibi fingis, sed potius dementis cujusdam militis esset, sine galea et gladio ad pugnam ruentis. Tanta igitur vecordia Cæsarem illum fuisse quis credat? Ab illa profecto tantum abfuit, ut ipsa ejus vis de qua tam pulchra tamque recta tu modo disseruisti, non magis ab antiquis scriptoribus quam ejus splendor sit celebrata. Itaque Tacitus, cum inter se conferre vellet multos ejusdem ætatis oratores, et unius cujusque dicendi genus propria quadam et peculiari laude no-

(1) A. Gell. 5, 13. — (2) A. Gell. 13, 3.

(3) Haud aliter Augusto, quem sedulum fuisse Cæsaris imitatorem notavimus, « Prompta ac profluens, quæ deceret principem, eloquentia fuit. » Tac. 13, 3.

tare; Cæsari potissimum splendorem tribuit. « Adstrictior, « inquit, Calvus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, « amarior Cælius, gravior Brutus, vehementior et plenior et « valentior Cicero (1). » Cuinam igitur hic vis et concitatio et vehementia datur? Num impigro duci et imperatori, quietis ac moræ impatienti, qui celeritate magis quam fortitudine tot et tanta bella confecit? Minime; sed Ciceroni, dubitatione magis animi noto quam celeritate illa « quodam igne volucri (2) » quam apud Cæsarem Plinius laudavit. Utri vero splendor? Num oratori de verbis, ut aiunt, magis quam de rebus laboranti? Minime; sed duci in armis tantum, ut non nemo existimat, exercito. Uter enim splendidior? Cæsar. Uter vehementior, et plenior, et valentior? Cicero.

Tacitus autem, quanquam ejus orationum libros in manibus habuit, tamen ipsum dicentem et voce, motu, oculis, quasi vitam atque animam verbis addentem videre non potuit. Quid autem si cum eo conveniat Tullius, qui cum potentem illum et civem et oratorem sæpe et in foro et in senatu contra se stantem viderit, non modo eum sæpe necessario audivit, sed etiam ejus facundiæ rationes et virtutes omnes quærere ac rimari debuit? Quid igitur de illo ad Cornelium nepotem, teste Suetonio, scripserit nostis : « Quid? Oratorum quis sententiis « aut acutior aut crebrior? Quis verbis aut ornatior aut ele- « gantior (3)? » Hanc præsertim illius elegantiam satis laudare nequit, et nullum fere apud oratorem tantam fuisse quantam apud eum prædicat. Quam adeptum illum esse putat, quum studio et labore, tum etiam domestica quadam consuetudine, ut dudum de Muciorum ac de Læliorum familiis audiebatur (4). Quænam autem ista laus fuerit, Cæsar ipse docet, qui scripsit in illis de analogia libris, « verborum delectum « originem esse eloquentiæ, et tanquam scopulum fugiendum « esse inauditum atque insolens verbum (5). » Ut mihi qui-

(1) Tac. Or. 25.

(2) Plin. Hist. nat., 7, 25. Quæ quidem Tullio formidinem quandam incusserat, cum ad Att. scripsit : « Cæsaris celeritas, diligentia, vigilantia horribilis! » Ad Att. 8.

(3) Suet. Cæs. 55. — (4) Cic. Brut. 72. — (5) A. Gell. 1, 10. Vid. ibidem 19, 8.

dem videatur hæc elegantia in eo fuisse posita, ut eligerentur ab eo verba vere latina, et in iis familiis usitata, quæ purum et integrum sermonem, tanquam domesticum quoddam patrimonium, servarent ac tuerentur. Non enim apud Romanos hoc dici potuit, quod olim a primo fere linguæ nostræ poeta dictum et frequentissime deinde usurpatum, nos fortasse nimio nunc obsequio factitamus, a triviis et a mercatibus petendum esse intactum et incorruptum patriæ linguæ usum. Quum enim in locum populi vere Romani, jam pridem tot et tantis bellis consumpti, nova in dies succederet turba servorum cunctis ex terris coactorum, multitudine quadam varia et inconstanti nominum externorum, tanquam peste magis ac magis ingravescente, turpatum fuisse vulgi sermonem necesse est. Ubi igitur mansisse credendum est puram et integram latine loquendi consuetudinem? Magnis nempe in domibus nullius cum externis affinitatis labe fœdatis. Ergo penes illas quoque loquendi norma et arbitrium esse debuit. Ut Cæsar ille dictator, non modo in rempublicam atque in populi Romani vitas fortunasque, sed etiam in linguam et sermonem Romanorum, imperium habuerit.

Neque existimes hac eum modestia fuisse ut illam in syllabas tyrannidem respueret, atque ea se abdicaret. Illam contra tanta superbia sævitiaque exercuit, quanta dictaturam moderatione et clementia. Pluribus enim amissis, exstant tamen plurimæ rogationes ab eo de grammatica latæ, quæ, si populus eas jussisset ac tuitus esset, nonnihil turbarum in lingua latina concitavissent. Exstant et quædam ejus judicia, quibus verba nonnulla damnavit, eisque civitate romana interdixit. Nonne denique id novum ac mirum est, nostris præsertim moribus, Cæsarem illum quem nos de subigendo vel regendo terrarum orbe semper cogitantem nobis fingimus, ad id descendere ut Ciceronem Atticumve doceat latine loqui? Audite tamen hunc locum, ex epistola Ciceronis ad Atticum excerptum : « Cæsar autem mihi irridere visus est *quæso* illud « tuum, quod erat εὐτινὲς et urbanum (1). » Audite hanc etiam

(1) Cic. Epist. ad Att. 13, 6.

ad ipsum Cæsarem : « De Trebatio, mi Cæsar, tibi hæc spon-
« deo (non illo vetere verbo meo quod cum de Milone scri-
« psissem, jure lusisti; sed more romano, quomodo homines
« non inepti loquuntur) (1). » Videsne Ciceronem, quum ad amicum scribit, absenti responsantem magistro, et verbum ab eo damnatum εὐπινές et urbanum vocare haud dubitantem? Idem autem, ut prudentem discipulum et non nimis audacem decuit, ubi ipsius in conspectum venturus est, jam demisit caput, et jure irrisum se fatetur, et ferulæ dat manum. Quis autem non miretur consularem et triumphalem virum, per epistolas verba amicorum cavillantem? Quis unquam audivit Cæsarem illum nostrum, qui totam vincendo Europam lustravit, præfectis ac legatis suis de recto verborum usu dedisse præcepta?

— Nempe putandum est, inquit Camillus, occasionem reprehensionis ei fuisse nullam.

Risit Valerius, atque excepit : Cæsaris igitur eloquentiæ præcipua laus esse videtur urbana quædam et magnifico generosoque ornatu distincta elegantia. Cujus pulcherrimam ac clarissimam effigiem expressit Cicero, cum dixit in Bruto :
« Cæsar autem consuetudinem vitiosam et corruptam pura et
« incorrupta consuetudine emendat. Itaque quum ad hanc
« elegantiam verborum latinorum (quæ etiam si orator non
« sis, et sis ingenuus civis romanus, tamen necessaria est),
« adjungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tan-
« quam tabulas bene pictas collocare in bono lumine (2). »
Nihil addam, ne lucem dare velle soli videar.

Alius etiam lepos, Cæsaris in domo solitus erat innasci, quem ipsi non defuisse crediderim. « Sale vero et facetiis,
« inquit Cicero, Julius Cæsar vicit omnes (3). » Nec semel eam laudem nobilissimo illi Cæsaris nostri patruo tribuit, sed quoties de ea, sive dote, sive arte pulcherrima locutus est, eam tanquam peculiare quoddam bonum illi assignat. Itaque in secundo libro præclaræ illius disputationis quam de Oratore

(1) Cic. Epist. ad div. 7, 5. — (2) Cic. Brut. 75.

(3) Cic. De off. 1, 37. Vid. ibidem 1, 30 ; Brut. 48 ; Or. pass. Tusc. 5, 19 ; Vell. 2, 9.

scripsit, cui potissimum partes credidit totius generis hujus doctrinam atque, ut ipse loquitur, artem salis explicandi? Num Crasso, num Antonio, clarissimis oratoribus? Ipsos inducit hoc munus deferentes Cæsari, tanquam optimo illius doctrinæ magistro.

Noster autem C. Julius Cæsar, ut qui ab illa domestica facultate non degenerare vellet, in ea sese ab adolescentia summo studio exercuit. Quem enim oratorem sibi imitandum proposuit? Illum ipsum patruum suum, quem Cicero facetissimum omnium atque in hoc genere solum laurea dignum judicavit. « Genus eloquentiæ, inquit Suetonius, duntaxat « adolescens adhuc Strabonis Cæsaris secutus videtur, cujus « etiam ex oratione quæ inscribitur pro Sardis ad verbum « nonnulla transtulit in divinationem suam (1). » Neque ei satis fuit ex eo fonte haurire : sed etiam undique facetias, et ridicula, et quidquid salse aut argute aut lepide dictum esset, ut inde conficeret volumina ἀποφθεγμάτων (2), teste Cicerone, colligebat. Illi autem ipsi clarissimo et dicacissimo oratori, cujus ex epistola hæc novimus, imprimis studebat; assiduaque consuetudine, tam acre judicium, tam acutas ad eum odorandum nares erat adeptus, ut si quid afferretur quod ejus esse diceretur neque ejus esset, continuo soleret rejicere. Imo, in ipsa bellorum civilium procella, tantis impeditus curis, tantis periculis obsessus, Tullianis tamen facetiis diutius carere non sustinuit; et, quidquid ille vel in sermone familiari dixisset, cui tamen aliquid inesset salis aut venustatis, ad se perferri mandavit. Nonne gloria et lætitia triumphasse nostrum oratorem putatis, quum videret arma togæ adeo cedentia, ut orbis domitor quidquid sibi dicendum videretur summa diligentia excipiendum et ad se ferendum curaret? Adeo tamen sibi non gratulatus est magnum illum sui cultum, ut contra de eo quereretur. Tantane illius modestia supra fidem est? Minime : Id enim non sine quadam animi ægritudine intelligebat, sibi deinceps providendum esse, cum telum vibraret, quo esset casurum.

(1) Suet. Cæs, 55. — (2) Cic. Epist. ad div. 9, 16.

Cæsarem autem ipsum, quum tantum salibus juvaretur, non infelix ingenium a natura habuisse manifestum est. Neque tantum in ea dicacitate mordaci et acri excelluit, cui præcipuam vim addit contemptus aliorum ac sui fiducia, sed festiva etiam et jocosa indole præditum eum fuisse patet. Ne verbis quidem amicorum eum pepercisse, quin ea luderet atque irrideret, paulo ante ostendimus. Vidistis etiam quam libenter omnia vel adversa et periculosa ad jocum traheret, quum piratis a quibus captus erat tanquam auditoribus usus est. Illis autem feris et sævis hominibus hilari habitu et festivo summopere placuisse fertur; adeoque facetus visus est, ut quidquid diceret tanquam per jocum ab eo dictum acciperent, utque illos audacissime vera profitendo luserit (1). Ut enim primum in manus illorum venit, quum ab eo petivissent ut se viginti talentis redimeret, tanquam stultos et verveces, quod non viderent quanti præda esset quam cepissent, ludibrio habuit. Neque solum viginti, sed etiam quinquaginta talenta daturum se, atque etiam, solutis nummis, eos omnes cruci affixurum pollicitus est. Ridere illi, et lætari, et adolescentulum lepidum et jocosum mirari : donec eos ille recedentes cum pecunia adortus cepit atque, ut promissum utrumque absolveret, supplicio affecit.

Facillime igitur credam Quinctiliano, ingenii ejus acumen (2) laudanti. Magis mirarer cur tam pauca de eo apud antiquos inveniamus, nisi intelligerem et oratoris et hominis lepidi et nasuti laudem summi ducis et dictatoris gloria tanquam offusam esse. Sunt tamen quædam ejus dicta mirum in modum nota et celebrata. Quis enim eum non audivit seditionem exercitus uno verbo compescuisse ? Queruntur decumani tot jam bellis confecti; tot victoriis superbi in minas et vim erumpunt. Ecce autem ad eos venit Cæsar ; missionem quam flagitant, statim dat; statim abire jubet, et tanquam dimissos *Quirites* vocat (3). Quid autem illi ? Milites se esse, non quirites confestim clamant : imo pœnas ultro exposcunt, ultro Cæsarem quamvis recusantem in Africam sequuntur. Quis igitur un-

(1) Plut. 2 ; Suet. 4. — (2) Quinct. 10, 1, 114.
(3) Tac. Ann. 1, 42 ; Suet. Cæs. 70. Vid. et App. et Dio.

quam melius invenit, non modo rem, sed etiam verbum commodum atque efficax, verbum quod pungat, quod impellat, quod fulminis instar consternat cuncta?

Hujus ego vim et acumen et opportunitatem non committam ut explicando obscuriorem faciam. Umbra tamen admota splendorem luci addit : lucido igitur illi verbo conferre haud absurdum erit quod tali occasione Dio dixisset si fuisset Cæsar. « Neque vero præferre vos civibus qui domi sunt debetis, ob « id quia militiam sectamini (1). » Nonne pergratum hoc futurum fuisse militibus putatis, quum a duce suo se posthaberi viderent illis civibus, illis togatis, quos toties vicerant ac prædæ habuerant, quorumque in domos, villas, prædia et possessiones tum maxime inhiabant?

Hic autem credere nihil vetat Cæsarem non ex tempore hoc dixisse, sed paratum et ornatum domo attulisse. Mihi tamen minime dubium est quin tam præsenti ingenio fuerit, ut semper habuerit promptum et expeditum quod lacessitus statim responderet. Postquam enim Gallia provincia esset ei decreta, cum frequenti curia ovante gaudio jactaret, « insultaturum se omnium capitibus, » patrum quemdam negavisse per contumeliam meministis « facile hoc ulli fœminæ fore (2). » Num fœdissimo isto convicio fuisse interpellatum eum putatis? Nomen illud sponte accepit, atque inde responsum duxit. » In Assyria quoque, inquit, Semiramis regnavit, et magnam Asiæ partem Amazones quondam tenuerunt. » Facetior est et gravior admonitio illa familiaris, qua Sempronii cujusdam inanem gloriam repressit. Qui cum ei ostenderet vulnus ore exceptum, quod passum se in seditione pro Cæsare pugnantem gloriabatur : « Nunquam fugiens respexeris, inquit (3). » Faceta est etiam, sed immisericors, illa ad veteranum responsio : cui cum miseriis et laboribus confectus, demissa usque in pectus vetere barba, mortem rogaret, « Nunc enim, inquit, vivis (4)? Nonnulla etiam alia ab eo et salse et ex tempore dicta suppetunt (5) : quid autem juvat apud confitentes argumentari?

(1) Dio. 41, 31. — (2) Suet. Cæs. 22. — (3) Quinct. 6, 3. 75.
(4) Suet. Cæs. 37. — (5) Sen. Ep. 77, c.

At nihil ab eo sæpius et felicius usurpatum est, quam dissimulatio illa aut simulatio callida et solers qua, cum aliud dicimus, aliud volumus intelligi. Quem enim fugit, postquam Pharnacem Mithridatis illius filium, uno prælio ac ne illo quidem justo, debellasset, triumphi sui tropæis eum inscripsisse: « Veni, vidi, vici? » Præclarum sane, neque grandem titulum! Illum tamen sæpius ita laudatum audivi, tanquam nihil aliud inesset quam gloriosi cujusdam militis vaniloquentia, meo quidem judicio, minime laudanda. Mihi autem videtur subesse aliquid altius multo et gravius, et eo dignius cui propositum ac certum esset non vi magis quam gloria populo Romano imperare. His enim verbis, tribus, inquam, his verbis superbum illud Pompeianæ magnitudinis fastigium stravit. Namque ex Asia præsertim devicta magno fuisse Pompeio cognomen sciebat, quem unum sibi, quanquam victum et sepultum, laude bellica æmulum et parem ferebant inimici. Tribus igitur his verbis, populis omnibus ad pompam illam undique concurrentibus, altiori quam præconis voce et graviori proclamabat: « Quidquid Pompeius fecit, nugæ sunt ac bullæ. Illas victorias, illos triumphos, illos labores tot et tantis laudibus ad cœlum elatos, sex istæ syllabæ metiuntur. » Nonne manifestum est tectam hanc fuisse et obliquam Pompeianæ gloriæ impugnationem, qua Pharsalica jam pugna devictum, Roma etiam ipsumque et nomen et memoriam ejus expelleret ac penitus tolleret (1)?

(1) Nonne hanc suspicionem confirmant hæc Suetonii verba : ab Alexandria in Syriam, et inde Pontum transiit, urgentibus de Pharnace nuntiis : quem Mithridatis magni filium, ac tunc occasione temporum bellantem, jamque multiplici successu præferocem, intra quintum quam adfuerat diem, quatuor quibus in conspectum venit horis, una profligavit acie : crebro commemorans Pompeii felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli genere hostium contigisset. Suet. Cæs. 35.

Nonne hæc eadem in memoria habuit Lucanus, cum Cæsarem ante pharsalicam pugnam induxit in cohortatione ad milites dicentem :

Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum.
Sitque palam, quas tot duxit Pompeius in urbem
Curribus, unius gentes non esse triumphi.

Est etiam illa ex ironia fictio, qua territos milites expectatione Jubæ regis ejusque copiarum, quarum ingens e longinquo fama et formido, confirmavit. Multitudinem præsertim quæ ferebatur immensa horrebant. Quid igitur agendum erat? Nonne optimum futurum fuisse videtur convocatos ad concionem milites docere quid rei esset, quo in errore versarentur, quantum res in majus augere soleret fama, quam parva essent regna Jubæ, quantum denique ea quæ narrarentur essent supra fidem? Sapientissima quidem ista : sed quanto et clarius et brevius ostendit quam stulta credidissent, quamque ipse ista omnia contemneret, quum, composito ad severitatem vultu, unde tamen risus aliquis emineret, ad eos progressus : « Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum « decem legionibus, equitum triginta levis armaturæ centum « millibus, elephantis trecentis. Proinde desinant quidam « quærere ultra aut opinari, mihique qui compertum habeo « credant : aut quidem vetustissima nave impositos, quocum- « que vento, in quascumque terras jubebo avehi (1). » Nonne vides milites an vera diceret primum dubios, deinde fingere illum suspicatos, ad illud tandem novum pœnæ genus risum non tenuisse? Quid autem minus formidatur quam quod semel irrisum est. Audite poetam canentem :

Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.

In narrationibus autem, quam versute alia silentio et quasi umbra tegere, alia clarissimam in lucem proferre sciat (2), quam lepide quam facete adversarios suos tanquam in scenam comicam induxerit, nemo est qui belli civilis commentarios legendo non centies miratus sit. Meministis profecto Pompeia-

(1) Suet. Cæs. 66.

(2) Id certe questus est Tullius : negari potest, id factum esse, quod laudetur; aut non eo nomine afficiendum quo laudator affecerit; aut omnino non esse laudabile, quod non jure factum sit; quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum. Cic. topic. 25.

Gravius et vehementius apud Sallustium Cato ad præsentem et audientem : « Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat? Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus!... » Sall. Catil. 52.

norum ante Pharsalicam cladem confidentiam, arrogantiam, vanitatem, crudeles spes, manusque in civium suorum bona et domos et honores porrectas. Quam gaudet, quam exsultat, quum ei licet inducere Domitium, Scipionem, Lentulum de sacerdotio Cæsaris jam contendentes, et ad gravissimas verborum contumelias quotidianis contentionibus descendentes! Quam vivide tanquam extrema lineamenta pulcherrimæ affert picturæ, quum hæc addit : « Postremo omnes aut de honori« bus suis, aut de præmiis pecuniæ, aut de persequendis ini« micis agebant. Nec quibus rationibus superare possent, sed « quemadmodum uti victoria deberent, cogitabant (1). » Num fuit unquam aut mimus aut comedia, ubi et cupiditates cujusque et vitia, mores ac vultus, jucundius aut vividius exprimerentur? Fateamur ergo nullum fere Cæsari defuisse facetiarum genus, nullum leporem, nullam venustatem.

Iter adhuc habuimus tutum et proclive; omnia enim inter se consentiebant et quasi cohærebant testimonia, ut alius alii aditum daret. Ecce autem duo Quinctiliani Tacitique judicia, mirum in modum inter se repugnantia, quæ quo modo ad concordiam redigi possint non video. Quamobrem ad te, inquit in Æmilium conversus, confugio. Rem omnem igitur attende : « Nec forte quisquam, ait Tacitus, aut Cæsaris pro Decio « Samnite, aut Bruti pro rege Dejotaro, cæterosque ejusdem « lentitudinis ac teporis libros legit (2). » Videsne teporis ac lentitudinis insimulari, quem paulo ante Camillus cursu magno ferri, turbinis instar, dicebat? Ista quidem loquentem cum Aprum induxerit Tacitus, recentiorum oratorum fautorem ac patronum veterumque contemptorem, non omnino fides ei est adhibenda. Sed rursus cuinam ad pervidenda vitia nostra subtiliori acie oculi sunt, quam inimicis aut æmulis? Qui quanquam ea fere in majus extollunt quibus reipsa laboramus, non tamen ea nobis objicienda eligunt quorum omnino sumus immunes. Lentum igitur eum ac tepidum nunquam Aper vocare sustinuisset, si tanto rueret impetu ut fervidis quasi rotis curriculum incenderet. Eam igitur opinionem et Tacito et ejus

(1) Cæs. De Bell. Civ. 3, 82-83. — (2) Tac. Or. 21.

ætati fuisse suspicandum est, si non plane frigidam esse et languentem Cæsaris eloquentiam, at certe minus quam æquum sit fervoris et vehementiæ habere.

Ecce autem ex diverso surgit Quinctilianus, ac testatur : « Tantam in eo vim esse, id acumen, eam concitationem, ut « illum eodem animo dixisse quo bellavit appareat (1). » Quid autem magis contrarium est quam vis tepori, quam lentitudini concitatio ? Quonam igitur modo res inter se dissociabiles, aquam fere et ignem, Cæsar miscere potuit ?

— Præsto est, inquit Æmilius, responsum quod ipse profecto tibi dedisti. Id igitur quæris, non ut quidquam ex me discas, sed ut in hac tua disputatione quiescentem ex illo hospitio jucundissimo expellas. Tibi tamen gerendus mos est.

Tacitus, aut ille alius quilibet, at certe adolescens, qui dialogum de Oratoribus scripsit, quum sententiam ferret, ætatem suam, ni fallor, in consilio habuit : Quinctilianus vero æquitatem solam. Quænam autem his temporibus eloquentia placuerit nostis. Omnium in manibus atque in memoria versabatur Seneca : et præ fulgoribus cognati ejus Lucani, pallescere videbatur Virgilianum sidus. Quid tunc a patronis, et causidicis, et iis omnibus qui dicendi artem profitebantur peti posset, et inde manifestum est, et magis etiam ex illis declamationibus ac suasoriis quibus Senecæ quoque inscribitur nomen. Num ab iis postulatum est, ut eas res invenirent, eoque modo componerent, ea elocutionis dulcedine aut pulchritudine dicerent, quæ potissimum valerent ad persuadendum ? Omnia poscebant « ingentibus plena sententiis esse ; nihil esse otiosum, nihil in « quo auditor sine damno aliud ageret ; omnia intenta aliquo, « petentia (2). » Res et compositionem et quæcumque ad persuadendum, quod proprium tamen est eloquentiæ, pertinent, parvi aut nihili faciebant ; omnem curam conferebant in verba, eorumque ipsorum omisso pudore et modestia, non loquebantur sed clamabant, non disputabant sed rixabantur. Verane igitur an falsa, probabilia an absurda defenderentur, nihil intererat. Sed si quis magna voce, grandi ore, verbis ingentibus

(1) Quinct. 10, 1, 114. — (2) Senec. Rhet. cont. lib. 3, epist.

nugas effutiret, hoc admirationem, hoc plausus, hoc famam conciliabat. « Mellitos, ut ait Petronius, requirebant verborum « globulos, et omnia dicta, factaque, quasi papavere et sesamo « sparsa (1). » Novum semper aliquid atque inopinatum subito effulgere poscebant, et unicuique verbo subesse quasdam insidias. Huic autem arti quasi cumulus accedebat, quum ita struerentur doli, ut inesse aliquid videretur, cum inesset nihil, et sese crederent auditores intelligere quod nullo modo posset intelligi. Sublimia hæc prædicabantur, et altiora quam ut eorum capax esset vulgus : quique supra vulgus sese locabant, suam sibi subtilitatem et acumen gratulabantur. Neque solum audire, sed etiam « referre domum aliquid illustre et dignum « memoria (2) » volebant, quod rursus per otium inviserent. « Sit in apparatu ejus, inquit Aper, et aurum, et gemmæ, ut « sumere in manus, et aspicere sæpius liceat (3). » Hæc igitur summa diligentia colligebant et undique comparabant : hæc alii aliis tradebant accipiebantque invicem, ut eorum quasi commercia essent. Itaque cum de patroni cujusdam oratione in circulis sermo esset, an reum ostendisset esse innocentem minime quærebatur ; sed quam multa inde sumi ac recitari dicta possent computabatur. Quum id igitur causidicis esset studendum, ut nihil ex ore emitterent quod non omnium animos excitaret, atque, ut ita dicam, pungeret ; id sibi providendum arbitrati sunt ut orationis suæ stamina quam densissimis aculeis ac spinis, si fas sit dicere, munita essent. Inde illud genus dicendi pressum ac tenue, concisis minutisque sententiolis quasi aculeatum. Cujus amatoribus quomodo non lenta ac tepida visa essent illa eloquentiæ sanctitas et verecundia, illa integra argumenta, plenis suis viribus ac stabili quodam robore in animos incumbentia ? Histrionis illud prius simile est, calcibus et pugnis, manibus, voce, vultu, toto denique corpore æstuantis ad nihil agendum. Hoc autem posterius romani consulis exprimit effigiem, certo ordine et motu, nec tamen sine quodam sonitu aspectuque terribili, legionem ad pugnam et ad victoriam ducentis.

(1) Petron. Sat. 1. — (2) Tac. Or. 20. — (3) Ibidem 22.

Orationem ejus qua id vobis perspicuum fiat quærenti, nulla mihi aptior ea videtur, quam ad senatum de conjuratis habuit, quamque apud Sallustium legimus.

— Num igitur Cæsaris illa est, inquit Valerius? an non Sallustii?

Cui statim Camillus: minime! Cæsaris eam esse mihi compertum est. Primum enim qualem ipse dixit exceptam eam fuisse constat. Nam Cicero, ut qui cuperet quidquid eo die in senatu gereretur tanquam suæ gloriæ monumentum posteris tradere, scribas in curia disposuerat, brevioris atque expeditioris scripturæ peritos, qui omnia exciperent ac notarent (1). Eam igitur orationem cum in manibus haberet Sallustius cur mutandam censuisset? An ut Cæsaris, cujus partibus favebat, in quo spem omnem reposuerat, offensionem atque invidiam multo labore compararet? Cæterum, quid Cæsar dixerit Cicero (2) refert, qui id audivit, et Plutarchus, qui hæc omnia dudum vulgata legere potuit; atque illis cum Sallustio cuncta conveniunt.

— Ista quidem, inquit Valerius, tuæ doctrinæ gravissima sunt documenta, tuæ autem opinionis argumenta levissima. Etiamsi enim omnes narrent historici genuinam illam esse Cæsaris orationem, fidem mihi non faciant; non magis Hercle! quam si Cæsarem eo die personam Sallustii induisse narrent, ejusque vultum et habitum mentitum esse. Nonne enim ubique sermonem Sallustii agnoscis, et verba quæ ab antiquo Catone furatus est, et fractum, asperum, abruptum dicendi genus, incisa ista ac minuta orationis membra nullo ambitu vincta et circumscripta, multa denique opera et cura quæsitam brevitatem? Ubi hic splendida illa et facilis Cæsaris eloquentia?

— Enim vero, inquit Æmilius, Sallustiano totum opus exaratum esse stylo attente inspicienti manifestum est; et alioqui multa afferre licet quibus id confirmari queat. Primum enim breviorem esse illam orationem patet; neque verisimile

(1) Plut. Cat. 23. Vide et. Des Brosses, ad Sall. not.

(2 Conf. Cic. Cat. 4, 4 et 5, Plut. Cæs. 7 et Cat. 22; Sall. Catil. 5[illegible] Cæs. 14; App. Bell. Civ. 2, 6; — Cic. ad Att. 12, 21.

est tantam animorum mutationem tam paucis verbis tamque parvo temporis puncto fieri potuisse. Deinde, quod Camillum fortasse magis movebit, Cicero ipse et Plutarchus quædam a Cæsare dicta esse ferunt, quæ hic omnino desunt. Cur autem Sallustius, quum haberet genuinam Cæsaris orationem, eam non adsumpserit, minime mirum est. Ille enim, ut omnes fere antiqui, non ideo solum historiam scripsit ut Romanos ea quæ vidissent paulo ante aut fecissent ipsi edoceret, sed multo magis, tanquam alii poemata faciunt, ut arte et eloquentia gloriam sibi pararet. Quænam autem ars, quænam laus fuisset, alienas orationes admiratione omnium, ut ita dicam, tritas suis scriptis medias interponendi ? Quum enim ei vitio datum sit quod a Catone quædam verba mutuatus esset, quanto æquius in crimen furti venturum eum fuisse existimas, si Catonis, Cæsaris, Ciceronis, clarissimorum oratorum, facundia historiam suam ornare et distinguere ausus esset ? Illas igitur orationes assumere nec potuit nec voluit : et alioqui ad totius operis brevitatem non faciebant. In illud autem totam operam conferre debuit, ut mutatis tantum verbis uniuscujusque cogitationes et sententias, sensusque et mentem caperet atque exprimeret ; ut quidquid dixissent brevius diceret, quidquid ab audientia intelligi voluissent, intelligendum cogitanti daret, ut denique eorum eloquentiæ quasi quamdam effigiem verissimam traderet, brevioribus quanquam ac tenuioribus lineis descriptam ac designatam. Verba igitur Sallustii sunt, argumentorum autem series et ratio Cæsaris. Vestem mutavit historicus : at corpus et vultum, gestumque et habitum omnem reddere debuit ; ac, si ex cæterorum scriptorum testimoniis conjecturam facere liceat, verissime reddidit.

Cum igitur præclaram illam orationem non modo noveritis, sed etiam, ut credo, memoria teneatis, non eam vobis recitandam puto, neque tamen minus perspicuum vobis fore quidquid de illa dicam. Quod si quid vobis exciderit, præsto est Sallustii liber, quem penes meæ disputationis fides erit.

Mihi quidem olim Sallustii conciones legenti, nulla minus quam hæc Cæsaris in senatu de conjuratis placebat. Primum enim exordio nihil frigidius, nihil putidius esse judicabam.

Quid sibi vellent ista sententiarum quasi collectanea, ista quasi florum ex academiæ hortis decerptorum serta, quærebam non sine fastidio, nec inveniebam. Quid hic bellum macedonicum, et Rhodii, et punica bella et Carthaginienses? Oratorem in nugis morantem quis ferret? Totum videre jam mihi videbar oscitantem ac dormitantem senatum. Id autem artis esse maximæ, ut audientes omnes, si posset, in somnum daret, me penitus fefellerat. In memoriam enim revocate qui fuerit eo tempore, ea die, reipublicæ status. Fugerat nuper ex urbe Catilina tanquam agitatus furiis, et coacto latronum exercitu rediturus nuntiabatur. Ejus socii, nobilissimi cives, conjurasse dicebantur Romam incendere, consulem, patres, civium denique optimum quemque et ditissimum interficere, et atrocissimi istius sceleris sua confessione erant manifesti. Erat etiam obscurus rumor et tacita opinio Cæsarem et Crassum eorum inceptis favisse. Plebs autem infima, rerum novarum, de more, avida, tanquam exercitus erat audenti paratus. Extra urbem, atque in ipsius urbis sinu, ubique hostes, ubique arma et minæ.

Quem igitur Patrum timorem fuisse æquum est, quam formidinem, quam ex formidine iram et ultionis sitim, quum undique cernerent, in foro, in domibus, atque in ipsius curiæ sacrario, gladios in se destrictos! Itaque ut de conjuratorum pœna judicaret senatu coacto, quum D. Silanus consul designatus maximum de illis supplicium sumendum censuisset, summo omnium consensu in ejus sententiam itum est. Mox autem, ut judicium quoque sua vice ferret, surrexit Cæsar. Vides quanta omnium exspectatio, snspicio, indignatio jam et ira surgentem excipiat? Vides omnium ora in unum conversa, flammantes jamjam oculos, et manus nonnullorum ad vim paratas? Hos igitur animos ita incensos, ita extrema omnia cogitantes, si statim recta fronte voluisset impugnare, quis eum audivisset, quis tulisset? Ergo sapientissima quædam iis præcepta et exempla, tanquam ad restinguendum incendium frigidam aquam, infundit.

Imo, tanta solertia sese diu gerit, ut nemo possit præsentire quam in partem sententiam laturus sit. Ut etiamsi quis non audire, ei obstrepere, eum perturbare omnino ac deterrere

paratus fuerit, ultro idem ille, dum quæreret quorsum illa oratio esset evasura, ei præbere aures et toto animo attendere coactus fuerit.

Equidem mihi ante oculos Cæsarem fingo, in hac procella lentum et immotum, nullum quidem timorem, nullam curam serena fronte præferentem, sed intentis tamen oculis auribusque, omnes animorum motus captantem. Ergo voce placida et gravi sic incipit : « Omnes homines, patres conscripti, qui de « rebus dubiis consultant, ab odio.... » Nonne odii tantum mentione facta fremitum quemdam indignantium audiri potuisse censetis? Ergo statim addit « amicitia, » tacentque omnes suspensi. Mox iterum eodem modo, quos nominata ira læsit ac stimulavit, iis subjecta continuo misericordia quasi medetur. Neque id semel : sed vicies in hac oratione reclamantibus jam inimicis aut occurrit aut respondet, silentiumque imperat. Vix ullum emisit verbum quod aliquem offenderit, quum aliud statim ad mulcendum vulnus adjicit. Imo offensiones vel minimas, quam cautissime potest, vitat : omnibus audientium cupiditatibus atque affectibus summa observantia morem gerit ac blanditur. Iratos se et incensos præbeant licet : graviores etiam in iras Cæsar exardescet. Reos non modo non defendit, sed etiam magna voce prædicat « magnitudinem sce- « leris omnium ingenia exsuperare; omnes cruciatus minores « quam facinora illorum esse; nihil in tales homines crudele « fieri posse. » Quid igitur incolume ac salvum cupit? Senatus æquitatem, dignitatem, famam, leges et mores majorum. Quid sceleratis hominibus possit accidere num curat? Una ei cura est, ne patres exemplum novum afferant, quod in eos ipsos tempus, dies, fortuna, fortunæ libido queat vertere. Ergo qui latronum socium et patronum exspectabant, magistratum gravem vident pro legibus stantem ; qui adversarium, inimicum, hostem fere in se exeuntem exsecrabantur, amicum jam fidum et sapientem stupent, sibi ac saluti suæ timentem (1). Quam

(1) Optime igitur Sidonius in Epist. l. 4, 3 : » Rex Theodoricus sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ... simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar. »

enim pulchras ignaviæ causas affert, ut induta æquitatis specie, sine pudore ac rubore possit sibi consulere atque omittere rempublicam !

Quæ autem calliditatis et dissimulationis miracula hic edidit singula persequi neque mihi propositum est, et vos si modo aspicere vultis videbitis : id tantum ostendere volui, Cæsarem interdum sedendo etiam ac jocando ad finem celerrime progredi solere, et permulta levius intuenti frigida atque ab re aliena videri, quum tamen nihil magis in rem sit. Neque id solum in exordio manifestum esse reor, sed in iis quoque quæ de inferis disseruit, ac de triginta Atheniensium tyrannis, et de institutis alienis Romana civitate donatis. Quamobrem igitur hæc omnia memoravit? Num ut doctrinam, tum idoneo loco et tempore ostentaret? Ut magis ac magis animos averteret a cogitatione metus præsentis et instantis periculi ; ut audientium oculis quasi quædam vela injiceret, ne cernerent ingruentem procellam. Rem igitur eo duxit ut de salute reipublicæ, ac de parricidarum manifestorum scelere et pœna ita disputaretur, tanquam in schola de animi immortalitate, aut in legislatorum concilio de telis quibusdam militaribus ac de insignibus magistratuum imitandis sententia esset ferenda. Quanto magis lentitudine et mora illa opportuna profecit, quam alii currendo sudandoque! Sæpe quidem substitit, sæpe deflexit a via quam sibi destinatam esse simulaverat, sæpe etiam quasi in quibusdam deversoriis tempus de industria terentem deprehendimus. Dum autem ludit, pugnat; ipsa illa incuria et negligentia, neque cura neque arte vacat. Quis enim sit adeo suspicionibus et timoribus deditus, ut tam lentum negligentemque hominem et festivum, sceleris atrocissimi conscientia exagitatum esse credat, utque sub illa tam læta specie, tam tetram latere crudelitatem existimet? Nisi cui forte succurrat quod olim optimatibus illius ipsius Cæsaris mortem deprecantibus dixerat Sylla, nobilissimo illi adolescenti atque elegantissimo multos Marios inesse (1).

(1) Suet. Cæs. 1. Idem etiam Pompeio dixisse videtur Sylla : « Cave tibi illum puerum male præcinctum. » Macrob.

Quod autem de concitatione et vehementia retulit Quinctilianus, non magis ad orationem referendum puto quam ad ipsius Cæsaris animum, atque ad vultum habitumque et vocem quibus animus sese oculis ostendit. Dixisse enim eum patet summa animi contentione, et flagrantissima vincendi cupidine, « eadem denique qua bellavit. » Illud enim inter omnes antiquos scriptores convenit; atque, etiamsi nemo narravisset, ex ejus ingenio et natura per se satis erat manifestum. Testis est certe haud inficiandus Juba, Hiempsalis regis filius, adversus quem quum Masintham defenderet ita exarsisse dicitur ut ejus barbam invaderet (1). Minime igitur mirum est pronuntiasse eum, ut fert Suetonius, « voce acuta, ardenti motu gestuque (2). » Cuncta etiam illa quæ ad miserationem pertinent, squalorem, lacrymas, gemitus, omnes denique scenarum ad affectus commovendos apparatus, egregie ab eo instructos, si opus esset, atque adornatos fuisse constat. Quanta sapientia, quanta modestia sese concionantem induxerit, ut ad patriam armis petendam hortaretur milites, Camillus memoravit; et ab eo nonnulla eorum quæ dixisset ac pollicitus esset omissa de industria fuisse confirmavit. Sunt autem etiam alia quæ eadem de causa tacuerit. Prætermisit enim omnino quanta diligentia et solertia hujus tragœdiæ scenam ornaverit, atque omnia ad misericordiam atque indignationem composuerit. Egregiam tamen artem præstitit, et quæ memoria prorsus esset digna. Proficisci primum exercitum jussit, et antequam sciret quo duceretur Rubiconem transgredi : perinde ac si ab eo illud facinus ante admissum esse quam notum voluisset. Tunc demum iis in vetito jam agro stantibus Curionem et Antonium, tribunos plebis, ut Roma profugerant, servili habitu atque itineris pulvere citatæque fugæ miseria sordidos produxit, qui dicerent se ideo mortis periculum subiisse, ideo penatibus et patria fugere coactos esse, quod Cæsarem, quod ipsum exercitum defendere ausi essent. Commotis tandem animis atque indignatione jam frementibus tanquam faces additurus apparet Cæsar, « flensque et veste a pectore discissa (3) »

(1) Suet. Cæs. 71. — (2) Suet. Cæs. 55. — (3) Suet. Cæs. 33.